



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

Tractatus II. De Baptismo & Confirmatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42545**

benedictione Rosæ in Dominica 4. Quadragesimæ, ubique multâ eruditione scribens.

## TRACTATUS II.

*De Baptismo & Confirmatione.*

### CAPUT I.

*De Baptismo.*

229. **N**on agitur hęc de Baptismo sanguinis, id est, Martyrio; nec de fluminis, seu spiritus, id est, contritione, cum voto Baptismi, vel desiderio; quia non sunt Sacramenta: sed de Baptismo fluminis, qui definitur, Ablutio corporis exterior, facta sub præscripta forma verborum.

#### A D D E N D A.

230. *Q. 42. Quid notandum sit circa Baptismum sanguinis sive Martyrium. R. De etymologia & variis nominibus Baptismi, videri potest Arcudius in Concordia Ecclesiæ occid. & orient. l. 1. c. 6. Circa Baptismum sanguinis sive Martyrium, nota seqq.*

§. 1. Martyrium ex vi vocis significat testimonium: Potest autem definiiri, *perpeſſio moris vel cruciatûs lethalis pro Christi fide*: unde ad Martyrium requiritur, 1. vel mors ipsa, vel saltem cruciatûs illativus mortis, nam S. Joannes Evangelista fuit verè Martyr, licet è ferventi oleo per miraculum illæsus evaserit. 2. Perpeſſio ob fidem Christi, nam Martyrem facit non pœna sed causa, inquit SS. Cyprianus & Augustinus. 3. Illatio mortis vel cruciatûs in odium fidei Christi.

§. 2.

§. 2. Quamvis Martyrium, prout est commune infantibus, non requirat voluntariam acceptationem, hanc tamen requirit in adultis, & quidem talem, quæ sit ex motivo supernaturali, uti cum communi *Aversa* q. 70. s. 6. §. Primo; alioquin nequus in rigore esset confessio Christi, neque actus virtutis Christianæ: Sufficit tamen voluntas habitualiter perseverans, *Caj. Con. Bonac. Gob. in Exp. t. 2. à n. 615.* Hinc qui in somno occideretur ex odio fidei, esset Martyr. Si tamen antecedentur nihil cogitasset de morte ob fidem subeunda, *Suar. Less. Laym. Dicast. de Bapt. d. 3. n. 7.* negant fore Martyrem.

§. 3. Mors censetur inferri ob fidem Christi, si inferatur propter opus vel defensionem alicujus virtutis Christianæ, quia opera, secundum quod referantur ad Deum, sunt quædam protestationes fidei, & qui potius vult mori, quam deficere à virtute, facto ipso protestatur Deum esse summè venerandum, *S. Th. 2. 2. q. 124. a. 5. Avers. §. Secundo. Gob. à n. 604.* Et ita *S. Joannes Baptista*, non pro fide, sed pro reprehensione adulterii occisus est, uti & alii apud *Mendo d. 9. n. 16.*, qui tamen sunt verè Martyres.

§. 4. Si Sacerdos catholicus ideo occidatur, quia contra prohibitionem venit in regnum acatholicum, est Martyr, quamvis enim obtendatur violatio legis civilis, re ipsa tamen simul influit odium fidei vel religionis, ex quo lata est talis lex, *Dicast. n. 48.*

§. 5. Si quis invincibiliter putet opus, ob quod moritur, esse actum virtutis, cum tamen non sit, *Rayn. tom. 18. de Martyrio per pestem p. 2. c. 3. n. 17.* dicit esse Martyrem, quia ideo

moritur, quod nolit agere contra conscientiam invincibiliter errantem, hoc autem est mori propter Deum & virtutem, ergo.

235. §. 6. De fide est, illos, qui seipfos occidunt, etiam propter peccatum à se perpetratum, non esse Martyres, nam Donatistæ & Circumcelliones id docentes damnantur in *Conc. Rom. sub Melchiade Papa anno 313. & Carthaginensi 1. anno 348.* Imò milites catholici, qui pugnando occiduntur ab hostibus fidei & in fidei odium, non sunt propriè Martyres, quia moriuntur tanquam milites, non voluntariè, sed à morte se defendendo, Martyrium autem est imitatio Passionis Christi, inquit *S. Th.*, qui quasi agnus coram tondente se obmutuit, *Isaie 53. v. 7. Tann. Dicast. n. 8.* Si tamen milites tales victi, de officio armis occiduntur propter fidem, sunt Martyres, *Less. Gob. n. 614.*

236. §. 7. De illis, qui in obsequio pestiferorum ex charitate moriuntur, dicit *Martyrolog. Rom. 28. Febr., Quos velut Martyres religiosa fides veneratè consuevit.* Et reipsa Martyres esse, teste *Mendo d. 1. n. 151., tenerunt 12. Academiæ, 13. Cardinals, 12. Episcopi, 264. Doctores, item alii 53. Scriptores cum Reyn. supra p. 3. & 4.* Econtrà illos non esse in rigore Martyres, tenent alii plurimi cum *Thoma Hurtado & Platelio p. 5. n. 151.* quia nec censentur mori pro fide Christi, nec pro defensione alicujus virtutis.

237. §. 8. Infantes per solum Martyrium salvari, docent Catholici communiter, ità ut *Suar. & alii,* oppositum censent temerarium aut erroneum, *Platel. n. 152. Putantque Tolet. Henriq. Regim. Vasq. Bonac. Dicast. n. 11.* etiam infantes in utero matris

matris occisos esse Martyres, cum eadem sit ratio de ipsis, quæ de aliis.

§. 9. Martyrium in adultis remittit omnem culpam & pœnam, uti habet communis cum Dicast. n. 50., & ideo Cap. Cum Martha. §. fin. De celebr. Missarum, dicitur, *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Manet tamen gravis controversia, an hunc effectum habeat independenter ab actu charitatis; unde quæritur, si aliquis bonâ fide & invincibiliter omitteret actum charitatis in Martyrio, an vi Martyrii justificaretur. Videntur negare SS. Augustinus & Bernardus, apud Platel. n. 159., & clarè S. Thom. 3. p. q. 66. a. 12. ad 2. *Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate; ex quo patet, quòd Baptismus Sanguinis includat Baptismum fluminis.* Similiter 2. 2. q. 124. a. 2. ad. 2. *Martyrium est charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis.* Et eandem sententiam tenent S. Bonavent. Alenf. Scot. Dur. Canus, Bann. Kellison. Vasq. Laym. Ochag. & ratio est, quia 1. ad Corinth. 13. v. 3. dicitur, *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Econtrà quòd justificet, non quidem strictè ex opere operato, sicuti Sacramenta, attamen quasi ex opere operato, & ex quodam privilegio, quamvis absit actus charitatis, docent Caj. Sot. Præp. Valent. Bellarm. Suar. Con. Tann. Less. Bonac. Castrop. Rayn. p. 2. c. 6. à n. 18. Platel. n. 154. Sporer de pœnit. n. 161. Jlls. tr. 4 d. 1. à n. 17. Aversa q. 70. s. 6. §. Quantum. Dicast. à n. 13. Gob. n. 617. Gorm. de Bapt. n. 4. Et videtur idem velle S. Th. apud Platel. n. 160. dicens Baptismum sanguinis non habere hoc ex opere operantis, sed ex imitatione Passio-

tionis Christi. Ratio horum est, quia *Matth.* 10. v. 32. & 34. *Marci* 8. v. 35. *Lucæ* 9. v. 24. *Joan.* 12. v. 25. salus æterna promittitur, hoc ipso quòd quis vitam suam ponat propter Christum, quod fit, quando præcisè mors sustinetur pro defensione fidei. 2. Quia Ss. PP. apud *Plat.* n. 156. Martyrium æquiparant Baptismo aquæ, hic autem justificat secus actu charitatis; uti tenent communiter omnes, ergo. 3. Quia Martyrium ita justificat infantes, ergo etiam adultos, si nempe hi habeant dispositionem necessariam, de qua §. seq. 4. Quia aliis Martyrium non aliter deleret peccata, quam quodvis aliud opus ex charitate positum. 5. Quia sic non dabantur tres Baptismi, fluminis, fluminis & Sanguinis, quod videtur esse contra communem sensum.

Ad rationem oppositam dici potest, vel cum *Plat.* quòd tò charitatem non habuero, intelligatur, non purè negativè sed contrariè, id est, si dissensiones & schismata fovero, propter quæ Apostolus ibi reprehendebat Corinthios: vel cum *Aversa*, si propriâ sponte vel ex malo fine tradidero corpus meum, ut ardeam: vel cum *Jllung*, si habitualis charitas non accedat ad Martyrium: vel cum *Dicaft.*, licèt alia omnia habuero, si non habuero charitatem, nihil mihi prodest, sicuti verum est, licèt habuero Baptismum aquæ, si charitatem non habuero, nihil mihi prodest.

§. 10. Ad Martyrium in homine adulto, qui personaliter peccaverit, prærequiritur pœnitentia, saltem virtualis, uti ad Baptismum, secundùm *Trid. Ssff.* 14. De Pœn. c. 1. *Nec obstat*, quòd Ss. PP. dicant Martyrium habere majorem vim, quam

quàm Baptismum, nam tantum volunt habere plus meriti, & majorem conferre gratiam, quod etiam docent *S. Th. Rayn. p. 2. c. 6. n. 8. Jllf. n. 26.* Sicuti autem ad Baptismum sufficit attritio, ita etiam ad Martyrium, per se loquendo, uti docent Authores §. præced. pro secunda sententia citati. Imò putant aliqui cum *Dicast. n. 40.*, si Martyr inculpabiliter omitteret attritionem formalem, per accidens sufficere virtualem, quæ includitur in voluntate subeundi mortem pro Christo. Aliunde tamen tenetur Martyr elicere contritionem, tum quia omnes ad eam obligantur pro articulo mortis, secundum dicta lib. 2. n. 130; tum etiam, quia illo tempore est obligatio sequendi tutiora.

§. 11. *Vega, Suar.* alique cum *Dicast. n. 39.* 240. putant gratiam tum causari, quando Martyr est ita vicinus morti, ut naturaliter non possit diutius vivere, quia tum moraliter adest Martyrium. E contra *Rayn. n. 25. Platel. n. 171. Jllfung n. 24.* videntur velle, quod conferatur in ultimo instanti intrinseco vitæ, quia SS. PP. dicunt tunc conferri, quando amplius peccare non potest. Videri potest *Aversa f. 5. §. Ad ult. rationem.*

§. 12. Illicitum est se temerè & absque justa causa ingerere in Martyrium, *S. Th. Navar. Henriq. Sanch. Dicast. n. 57.* Ratio est 1. Quia homo non est Dominus vitæ suæ. 2. Quia occidens ita inducitur ad peccatum. 3. Quia hæc est quædam tentatio Dei, uti notant SS. PP. apud *Gob. n. 624.* Hinc docent *Laym. & Gob.* te peccare mortaliter, si die Veneris abstineas à carnibus, sicque te manifestes esse Catholicum, prævidens te ideo occidendum. Per accidens tamen licitum est se of-

ferre ad Martyrium, si nempe fiat ex instinctu divino, possétque etiam esse præceptum, si necesse foret ad vitandum scandalum, quod per dissimulationem vel fugam causaretur.

242. §. 13. Martyrio responder in cœlo laureola sive corolla, id est, speciale gaudium proveniens ex tam excellenti victoria & redundans in corpus, cum peculiari decore illius membri, in quo passus est Martyr, uti probabiliter docent Rayn p. 2. c. 6. n. 33. Gob. n. 619. Dicast. n. 51.

243. *Questio. 43. Quid notandum sit circa Baptismum fluminis. R. seqq.*

§. 1. De fide est posse aliquem salvari Baptismo fluminis, sinè Bapismo fluminis aut sanguinis, uti dicitur n. 245.

244. §. 2. Baptismus fluminis est perfecta contritio, vel amor Dei super omnia, de quibus plura dicentur in materia de poenit. Ad Baptismum autem fluminis non requiritur expressum votum vel desiderium Baptismi aquæ, sed sufficit implicitum, inclusum in voluntate servandi omnia Dei præcepta, *Suar. Vasq. Valent. Gob. in Exp. t. 2. n. 637. contra Nugnum.* Attritio tamen, etiam cum expresso voto Baptismi, non sufficit,

245. quia non justificat sine Sacramento vel Martyrio.

*Q. 44. Quenam hæreses sint in Ecclesia exortæ circa Baptismum fluminis seu aquæ. R. seqq.*

1. S. Bernardus Epist. 77. refert hæresin aliquorum, qui dicebant absolutè neminem absque Baptismo aquæ posse salvari, sed oppositum habet traditio Ecclesiæ, nam Baptismo sanguinis aut fluminis potest obtineri salus, uti constat ex dictis, & pro Baptismo fluminis est expressa decisio *Inno. III. Cap. Apostolicam. De Presb. non baptiz.*

baptiz. Et ideo *Trid. fess. 6. cap. 4.* docet iustificationem haberi, aut lavacro regenerationis, aut ejus voto.

2. Flagellantes docuerunt Baptifimum aquæ 246.  
mutatum esse in Baptifimum sanguinis, sed damnantur anno 1311. in *Conc. Viennensi* sub *Clemente V.*

3. *Pelagius, VVicleff, & Armeni* dixerunt Baptifimum non esse necessarium ad salutem, & infantes eo non egere, eò quòd careant peccato originali, sed damnantur in *Conc. Milevitano 11.* & *Trid. fess. 5. Decreto de pecc. orig. item fess. 7. de Bapr. Can. 5.*

4. *Manes, Messaliani, Albanenses, Albigenses,* 248.  
*Armeni* dixerunt Baptifimum aquæ nullam habere vim, sed damnantur in *Conc. Nicæno 1. Florent* sub *Eugen. 1V. anno 1439.* & *Trid. suprâ.* 249.

5. *Petrus de Bruis, Henricus Tolofanus & Anabaptista* anno 1302 dixerunt Baptifimum pueris usum rationis non habentibus nihil prodesse, sed damnantur in *Conc. Lateran. sub Inn. III. anno 1215.* & in aliis deinceps Conciliis.

6. Alii *Anabaptista* dixerunt Baptifimum solis 250.  
adultis ætatem Christi habentibus esse conferendum, sed damnantur à *Trid. suprâ Can. 12. & 13.*

7. *Donatus Afer, Armeni & alii Anabaptista* anno 1558. dixerunt rebaptizandos esse illos, qui sunt de Ecclesia Romana, aut in infidelitatem relapsi, aut postea a. Ili non ratificant Baptifimum in infantia susceptum; sed damnantur à *Florent. suprâ & Trid. Can. 8. 11. & 14.*

8. *Armeni* aliique docuerunt, remini con- 252.  
ferri posse Baptifimum, nisi eidem conferatur unctio S. Chrysmatis & Sacramentum Eucharistis;

fiat: E contra, *VValdo, VVicleff & VValdenses* dixerunt Baptismum esse recipiendum siue unctione olei, sed primi damnantur ex haecenus dictis: postremi autem in *Conc. Laodicensi*, anno 364. & *Lateranensi* sub *Alex. II.* anno 1176.

253. 9. *Lutherus* docuit, nullum peccatum, praeter originale, tolli per Baptismum, sed damnatur in *Trid. sess. 5.* in Decreto de peccat. orig.

254. 10. *Lutherus, Melanct. Brennius, Kemnit.* dixerunt infantes credere, dum baptizantur, sed manent damnati ex dictis, à n. 249.

255. 11. Materiam Baptismi non esse aquam sed ignem, docuerunt *Galatae*, abutentes illis verbis *S. Ioannis Baptistae, Matth. 3. v. 11.* Ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igni, ideoque ferro candenti inurebant frontibus hominum signum crucis: sed damnantur in *Florent. & Trid. sess. 7. Can. 2.* Verbis autem adductis significat *S. Joannes*, per suum Baptismum homines disponi tantum ad poenitentiam, sed per Baptismum Christi dandum Spiritum S., gratiam & charitatem.

256. 12. *Marcus Aegyptius* anno 155. *Montanus* anno 173. *Paulus Syrius* anno 266. docuerunt formam Baptismi in Ecclesia usitatam non esse veram formam, sed damnantur in *Conc. Antiocheno & Nicano I.* anno 325.

257. 13. *Cataphryges* dixerunt mortuos sine Baptismo utiliter baptizari: *Marcionistae* putarunt aliquem vivum posse baptizari pro tali defuncto; sed damnantur anno 397. in *Conc. Carthaginiensi III.*, cap. 6. & *Synodo Trullensi.* Vide *Aversam* q. 68. sect. 1.

## DUBIUM I.

## Quæ materia Baptismi.

**R**esp. Materia remota licita, est aqua conse-<sup>158.</sup>  
 crata, si haberi potest; valida, est omnis &  
 sola aqua elementaris, quæ morali hominum  
 æstimatione sit naturalis & usualis, qualis est  
 putei, maris, paludis, pluv. & c. Item resoluta  
 ex nive, grandine, glacie, licet accidentaliter  
 quoad colorem, saporem & odorem alterata  
 sit, ut aqua sulphurea, lixivium, jusculum,  
 aqua ita tenuiter carne decoctum, aut aqua al-  
 teri corpori ita modicè admixta, ut usum com-  
 munem, & æstimationem aquæ retineat. Ratio  
 responsionis est, ex Joannis 3. Nisi quis renatus  
 fuerit ex aqua. Quam S. Thom. confirmat triplici  
 congruentia, 1. Est maxima commoditas aquæ.  
 2. Ejus facillimus usus. 3. Aptitudo ad signifi-  
 candum effectum, qui est emundatio à peccato  
 Unde resolves

I. Inepta materia Baptismi est, saliva, lo-  
 tium, lacrymæ, sudor, cerevisia, item aqua sic  
 permixta, ut non amplius sit apta ablutioni,  
 nec vocetur aqua, v. g. lutum, brodium, vinum  
 lymphatum; item aquæ artificiales, ex rosis,  
 herbis, succisque expressæ; denique nix, grando,  
 glacies non resoluta. Ratio, quia morali homi-  
 num æstimatione non ceasetur aqua natura-  
 lis, & usualis. Laym. l. 5. t. 2. c. 3. Bon. 10. 1 de Sa-  
 cra. d. 2. q. 2. p. 3.

II. Quia in quibusdam tum ex dictis, tum aliis  
 dubium est, v. g. de jusculo & cerevisia valde

» tenui, lixivio, & secundum *Granad.* in 3. p. c. 4.  
 » r. 1. d. 3. dub. 2. aqua rosacea; hinc in necessitate  
 » licet illis uti, etsi postea Baptismus sub condi-  
 » tione sit repetendus. V. *Escob. Lay. Bon. ll. cc.*

» III. Uti aqua impura, vel non consecrata,  
 » cum alia haberi potest, est grave peccatum, ob  
 » Sacramenti irreverentiam. *Bon. n. 7. & 8. Dian.*  
 » p. 9. t. 6. R. 33. & alii quinque; licet *Granad.* &  
 » *Quintanad.* putent non esse mortale, uti non  
 » benedicta.

» Resp. II. Proxima materia Baptismi est ablu-  
 » tio: Quae validè fit tribus modis, scilicet im-  
 » mersione, aspersione, infusione, juxta praxin  
 » diversarum Ecclesiarum, quae servanda est, ita  
 » ut morali hominum judicio cessatur esse lo-  
 » tus. Ex præcepto tamen caput abluendum est,  
 » quod praxis Ecclesiae habet. Ratio, quia quoli-  
 » bet horum modorum fieri potest ablutio. Et  
 » quidem trinam immersionem non esse necessa-  
 » riam, constat ex *Concilio Toletano*: Ubi tamen  
 » trina vel immersio vel infusio usitata est, haec  
 » gravi peccato, extra necessitatem, non potest  
 » prætermitti, ut docet *D. Thom.* etsi alii, secluso  
 » scandalo & contemptu, dicant esse tantum ve-  
 » niale. *Lay. n. 4. Bon. l. c. Unde resolves*

» I. Non verè baptizatur, cujus nulla pars im-  
 » mediatè tangitur, v. g. infans in utero vel cista;  
 » vel adultus, cujus vestes tantum sunt aspersae.  
 » *Laym. Bon. ll. cc.*

» II. Non requiritur ad valorem, ut qui bap-  
 » tizatur, emergat ex aqua; quod tamen grave  
 » peccatum est, esto nihilominus moriturus esset  
 » baptizandus *Lay. n. 5.* Uel etiam matrem nihil-  
 » ominus morituram, vel mortis ream, aperire,  
 » ut

ut infans baptizetur, *Lay. n. 2.* ubi unicum casum  
excipit, si nimirum mater fit morte digna, & si  
supplicium differatur, infans certò fit moritu-  
rus ante nativitatē. Verùm rectè addit ex *Suar.*  
casum hunc, vix moralem & practicū esse. *V.*  
*l. c.*

III. Invalidus est Baptifmus : 1. Si quis laba-  
tur in aquam, vel ab alio protrudatur, & tamen  
formam pronuntiet. 2. Si formam pronuntians  
teneat puerum, & alter abluat, aut aquam af-  
fundat. 3. Si aqua è fonte profiliēte, aut stilli-  
cidio decidente, baptizandus ei se submittat.  
Ratio, quia in his non tu, sed alter abluit. *Bon.*  
*p. 3.*

IV. Ob probabilem utrimque sententiam,  
dubius est Baptifmus, ideoque si in necessitate  
fit datus, repetendus sub conditione, 1. Si tan-  
tùm una vel altera gutta fit adhibita, v. g. si mo-  
re aquæ lustralis multitudo fit aspersa : Quod  
sine necessitate non licet, cùm ad ablutionem  
non videatur sufficere quicumque aquæ conta-  
ctus, sed requiri successivus cum aliquo motu,  
*Bon. n. 13. ex Suar. Kon. Sc.* In casu tamen necessi-  
tatis, sic baptizare concedit *Merat. t. 3. p. 2. sect.*  
4. *Granadus d. 4. n. 12.* 2. Si tantùm fit abluta pars  
minùs principalis, v. g. digitus, manus, vel pes.  
Nam si pars principalis, v. g. scapulæ, vel pectus,  
nemo dubitat. 3. Si tantùm crines sint tincti,  
*Lug. Resp. Mor. l. 1. d. 1.* hunc validum esse  
contendat. 4. Si infans tinctus, sit involutus ad  
huc secundinæ suæ, id est, pelliculæ corpori an-  
natæ. In necessitate tamen in prædictis casibus  
Baptifmus debet conferri sub conditione. *Hurt.*  
*de Bapt. d. 1. diff. 12. V. Lay. l. 6.*

» V. Cùm terna usurpatur effusio aut innersio, ad nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti, juxta praxim Ecclesie, cavendum, ne ter, sed semel tantum pronuntietur forma. Quz rectius ita profertur, ut ante tertiam ablutionem non finiat; quia forma cum quacunque prima ablutione Baptisimum constituit. *Regin. lib. 27. c. 3. Lay.*

## A D D E N D A.

259. Q. 45. Quid præterea circa materiam Baptismi sit notandum. R. Quandoam materia Baptismi dicatur substantialiter vel tantum accidentaliter mutata, dictum est n. 21. & 22. Hic adde seqq.

§. 1. Quia sæpe dubitatur, an aliquid re ipsa sit vel non sit aqua naturalis, hinc oriuntur tot dubia circa materiam remotam pro valore Baptismi, certum enim est ex Scriptura, *Florent. Trid.* & declarationibus Pontificum apud Authores passim, materiam validam hujus Sacramenti esse solam aquam naturalem, sive eamaris sit, sive fluvii, sive paludis, sive putei aut fontis, que sine ulla adjunctione aqua dici solet, uti habet *Catech. Rom. tit. de Bapt.*

260. §. 2. Quod salivam vel sudorem attinet, certum videtur non esse aquam naturalem, uti habetur *Cap. penult. De Bapt.*, & pluribus ostendit *Mendo diff. 9 q. 2.*, idèoque nunquam licitum est in illis baptizare, nequidem sub conditione. Idem tenet *Mendo q. 1. de aqua rosacea & similibus succis distillatis*; quam sententiam etiam tenui n. 22. Oppositam tamen teneat multi apud eundem *Mendo & Dian. in Comp. V. Baptismi.*

*smus.* n. 2., quam probabilem fatentur *Tanner.* Tom. 4. d. 4. q. 1. dub. 2. n. 41. & *Dicast.* de Pœna: d. 10. n. 209., unde in extrema necessitate adhiberi deberet sub conditione, secundum dicta n. 110. & 122. *Nec obstat*, quod *Pignatelli* tom. 4. Conf. 212. dicat certum esse, tales liquores esse materiam invalidam, nam hoc dicit ex suppositione, quod non sint aqua naturalis, recentiores autem dicunt per distillationem extrahi in substantia aquam naturalem, licet qualitates alias seculum trahat.

§. 3. Atramentum crassum non est materia 261. valida, quia non retinet nomen, nec usum aquæ; sed atramentum tenue videtur valida, quia re ipsa est & dici potest aqua, nigrore colorata, quæ *Æthiops* diceretur se lavare: putant tamen *Steph.* & *Gob.* in Exp. tr. 2. n. 33. de atramento tenui esse idem, quod de tenui cerevisia, adeo que esse materiam dubiam. Ros & vapores densati in guttas sunt materia valida, uti dictum est n. 22. Succus, qui verno tempore fluit è vitibus, besulla, aut alia arbore, creditur à multis esse aqua naturalis, quia aër & terra tum abundant aqua, quæ attracta per calorem Solis vel vim nativam plantæ non potest tota concoqui, & ob abundantiam effluit. Aquam ex sale, sive marino, sive montano, resolutam esse naturalem, dicunt aliqui cum *Henriq.*, alii cum *Silv.* negant; *Tann* n. 38. dicit esse materiam dubiam, quia aliqui dicunt esse vapores & exhalationes concretas, alii mixtum diversæ naturæ, quorum utrumque incertum est.

§. 4. Si nix vel glacies à baptizante ipso ita 262. applicetur baptizando, ut frictione illa resolve-

tur & fluat, Baptismus est certò validus, quia re-  
 ipsa admovet aquam, si autem à baptizante in-  
 jiciatur baptizandi corpori, à cuius calore re-  
 solvatur, *Aversa* putat valere, sed dicendum  
 cum *Tanner*. n. 44. non valere, aut saltem esse  
 dubium, quia non videtur à Baptizante abluí. Et  
 idem est, si baptizans in peste infectam aquam  
 projiceret, quam baptizandus videns ad se non  
 pertigisse, ex ea aliquid acciperet & se aspergeret,  
 tum enim non baptizans sed ipsemet baptizan-  
 dus diceretur se abluere aquá per baptizantem  
 tantùm subministratá.

263. §. 5. In Baptismo non solenni sed privato li-  
 berè omittitur aqua benedicta, *Pasq. Quintand.*  
*Gob.* tr. 1. n. 41. Si tamen omittatur in solenni,  
 probabiliùs videtur ob transgressionem Cle-  
 ment. Un. De Baptismo, esse mortale.

264. §. 6. Si quis carens aquá infantem alioquin  
 sine Baptismo meritum projiceret in puteum,  
 & sic proferret formam, Baptismus esset vali-  
 dus, quia esset vera immersio conjuncta cum  
 forma, *Panorm Suar. Con. Regim. Dicast.* de Bapt.  
 d. 1. n. 61. *Aversa* q. 66. f. 4. §. Sextò. *Gob.* n. 50.  
*Delb.* De imm. Eccl. c. 2. dub. 4. f. 20. num. 63.  
*Gorm.* n. 60. An autem hoc sit licitum, disputa-  
 tur, aliqui cum *Soto*, *Suar. Vasq. Castrop. Reding.*  
*Gob.* n. 124. dicunt licere, si mors non multùm  
 acceleretur, imò etiam si acceleratio futura esset  
 magna, adhuc licere putat *Diana* p. 5. t. 3. R. 8,  
 quod *Gob.* n. 126. non improbat, quia vita cor-  
 poris cedere debet vitæ animæ. Econtrà negant  
 unquam licere *Laym. Dicast.* n. 66. *Delb.* n. 58.  
*Aversa*, *Gorm.* & *Busenbaum* suprà, quia projectio  
 illa directè & per se tendit ad occisionem infan-  
 tis,

is, & quamvis projiciens dicat se eam non intendere, tamen projectio ipsa non est moraliter, nec per intentionem efficaciter disjungibilis ab occisione, ergo manet occisio directa, mala autem non sunt facienda, ut eveniant bona: Unde ad rationem allatam respondetur, vitam animæ esse quidem præferendam vitæ corporis, sed quantum fieri potest per media licita.

§. 7. Quod corpus baptizandi debeat tangi 265.  
 aqua, certum est, uti rectè *Aversa* §. *Quarto*, & *Mendo* d. 9. n. 22. Quod si aliquem ipsemet adducam & teneam sub stillicidio, & proferam formam, rectè baptizo, quia sufficienter dicor ipsemet cum abluere, *Bonac. Gob. n. 60.* Aliud est, si aqua non sponte sua, sed alio affundente decideret, tum enim aliter diceretur abluere, *Gob. n. 146.* Quid autem dicendum sit in casu, quo quis à fenestra dejecisset aquam, & pronuntiatâ formâ moreretur, antequam aqua tangeret corpus baptizandi, dictum est n. 56. in obj. 4.

§. 8. Si contra consuetudinem diœcesanâ 266.  
 Baptismus fiat per immersionem loco affusionis aquæ, *Sot. Valent. Dicast. n. 43. Gob. n. 63.* probabiliter dicunt esse veniale tantum, quia talis ritus non videtur graviter præcipi, nec censetur mutatio notabilis. Græci, infantes totos in calidam aquam mergunt, teste *Arcudio l. 1. c. 7.*, & ideo statim ante Baptismum benedicunt aquam, & post Baptismum unius aut plurium, statim eam abjiciunt in locum honestum, quia non videtur decens, ut eadem aqua jam quasi polluta asserveretur in longum tempus ad aliorum Baptismum. Docent tamen Græci etiam sufficere infusionem & asperisionem, *Arcud. c. 10.*, quamvis  
 N 2 adhi-

- adhibeant trinam immersionem , Arcud. c. 9.  
 267. §. 9. Si Baptizandus abluatur in alia parte  
 corporis quàm in capite, v. g. in pectore, vel  
 scapulis, Platel. n. 119. dicit Baptismum non esse  
 certò validum: & idem videntur dicere alii apud  
 Gobat n. 33. , sed Suar. Tann. Aversa §. Septimo  
 Merat. & alii communissimè, merito dicunt,  
 saltem si sit pars aliqua principalis, Baptismum  
 esse certò validum, quia verum est talem homi-  
 nem esse ablutum, uti verum est, esse laesum,  
 si laedatur in pectore.

## DUBIUM II.

### *Qua sit forma Baptismi.*

268. **R** Esp. Forma necessaria Baptismi est hæc: *Eg-*  
*o Te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spi-*  
*ritus S. Amen.* A qua non differt illa Græcorum  
 »substantialiter: *Baptizetur* (vel, ut Arcudius  
 »vult, *baptizatur*) *servus Christi in nomine Patris,*  
 »&c. Porro quinque sunt, quæ significantur in  
 »prolatione formæ, juxta quæ valor ejus debet  
 »expendi, 1. Persona baptizantis, saltem impli-  
 »citè; quod in forma Græcorum non negligitur,  
 »cùm *Tò baptizetur*, idem valeat, ac *baptizetur*  
 »à me. 2. Actus baptizandi: quia alioqui forma  
 »non haberet connexionem cum materia, cam-  
 »que non determinaret, cùm ablutio ad varios  
 »fines possit referri. 3. Persona baptizandi: quia  
 »uti ablutio, ita & forma circa certam personam  
 »versari debet. 4. Unitas divinæ naturæ, quod  
 »fit per voces, *in nomine.* 5. Trinitas persona-  
 »rum: idque explicitè & distinctè vulgaribus  
 »voca-

vocabulis. *Fill. tr. 2. c. 3. Laym. l. 5. t. 2. c. 4. Bon.*  
*l. 5. tr. 2. p. 4 Unde refolves*

I. Validè baptizat, etfi venialiter peccet, qui  
 pro baptizo, dicit, abluo, mergo &c. vel pro, Te,  
 utitur communi nomine, Græcorum more, vel  
 proprio; vel baptizo Petram; vel qui honoris  
 causâ dicit, baptizo dominationem vestram.  
*Laym. n. 6. Bon. n. 9. & seq.*

II. Valet forma, etfi omittat, Ego, & Amen,  
 quia omnia significata per formam salvantur:  
 secus, si omittas Te, quia non significatur perso-  
 na baptizanda. *Ibid.*

III. Non valent hæ formæ: baptizo te in no-  
 minibus Patris, & Filii, &c. quia multiplicatur  
 natura, seu essentia divina. 2. Baptizo te in Patre  
 & Filio, &c. vel cum Patre, &c. vel per Patrem;  
 vel, in nomine Patris, per Filium, in spiritu san-  
 cto; vel in fide, virtute, majestate Patris, &c.  
 (quam tamen alii dubiam esse volunt) Ratio,  
 quia significatur diversitas essentia, aut certè  
 unitas non satis exprimitur. 3. Baptizo te in no-  
 mine Dei, vel sanctissimæ Trinitatis, vel in no-  
 mine Dei unius & trini, vel in nomine trium  
 Personarum; vel Patris & Filii, omiffâ persona  
 Spiritus S. Ratio, quia non exprimentur distin-  
 ctæ tres Personæ. 4. In nomine Domini nostri  
 Jesu Christi: quâ tamen formâ olim Apostolos  
 usos, sed ex speciali privilegio, multi docent,  
 alii negant, dicuntque eos baptizasse in nomine  
 Christi, addendo illud nomini, secundæ perso-  
 næ, non omiffis nominibus aliarum persona-  
 rum: Cùm ergo Nicolaus Papa dixit, eam for-  
 mam valere, vel intellexit, si pro nomine Filii  
 ponatur nomen Christi: vel in nomine Christi,

»pro vice Christi intellexerit, vel locutus est  
»doctor privatus. V. *Aut. cit.*

» IV. Dubia sunt formæ, ob sententiam utrim-  
»que probabilem Auctorum. 1. Baptizo te in no-  
»mine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus  
»sancti, vel baptizo te in nomine Patris, baptizo  
»te in nomine Filii, &c. Ratio, quia non exprimi-  
»tur unitas essentialis. 2. Baptizo te in nomine ge-  
»nitoris, geniti, & spirati; vel in nomine omni-  
»potentis, sapientis, & boni, vel in nomine ingenti,  
»geniti, & doni: Ratio, quia trinitas personarum  
»non explicatur vocibus, quibus à fidelibus om-  
»nibus debet, & potest apprehendi. Baptizo te in  
»nomine Patris, & Filii, Spiritus sancti, & Ma-  
»riæ Virginis; quia dubium est de intentione Mi-  
»nistri; qui si eo sensu voluit dicere, Mariæ, quo  
»Patris, Filii, & Spiritus sancti, non valet; cum sit  
»contra sensum essentialem à Christo intentum;  
»si verò tantum voluit illam invocare, ut coad-  
»jutricem gratiæ impetrandæ, vel aliter, valet,  
»cum tantum sit mutatio accidentalis. *Fill. n. 50.*  
»V. etiam *Laym. & Bon. ll. cc.*

## A D D E N D A.

269. Q. 46. Quid præterea circa formam Baptismi sit  
notandum. R. Quandoque forma Baptismi sub-  
stantialiter vel tantum accidentaliter mutetur,  
satis declaratum est à n. 30. 42. 62. Hic adde seqq.

§. 1. Si persona baptizantis aut baptizandi  
nullo modo significetur, certum est non valere  
Baptismum, nam *Alex. VIII.* damnavit hanc  
*prop. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma col-  
latus, in nomine Patris, &c. prætermissis illis, ego te  
baptizo.*

§. 2.

§. 2. *Nugn. Bonac. Dian. p. 2. t. 15. R. 46. di-* 270.  
 cunt Sacerdotes tantum venialiter peccare, si  
 formam proferant in lingua patria, & rectè mo-  
 net *Gob. t. 2. n. 88.* consultius esse, ut Parochi  
 doceant obstetrices formulam baptizandi in  
 lingua patria, quamvis enim possint latinè reti-  
 nere, tamen faciliùs in latina turbabuntur, &  
 errorem committent. Addit *Gob. n. 169.* Paro-  
 chos mortaliter peccare, si non examinent ob-  
 stetrices, an rectè baptizare sciant, obstetrices  
 autem sub mortali teneri addiscere modum  
 baptizandi, docent *S. Anton. Henriq. Regin.* alii-  
 que multi cum *Aversa q. 67. l. 2. §. Teneri. Nec ob-*  
*stat,* quòd fortè alii sint adfuturi, qui formam  
 sciant, ideòque obstetrices videatur excusare  
*Suar.*, cujus sententiam probabilem esse dicunt  
*Dian. & Dicast. d. 2. n. 18.* nam ipsæ ex officio te-  
 nentur adesse puerperis, non item alii, & sæpe  
 occurrit occasio, quâ infans nascens de vita pe-  
 riclitetur.

De forma Græcorum, baptizatur (non, ba-  
 ptizetur) *servus vel serva Christi* in nomine &c.  
 optimè discurrit *Arcudius l. 1. c. 8.*, & ostendit  
 utramque esse bonam, quamvis dicerent, bapti-  
 zetur.

### DUBIUM III.

*De Ministro Baptismi.*

### ARTICULUS I.

*Quis sit Minister Baptismi.*

**R**esp. Validè ministrat omnis homo ratione 271.  
 utens, cujuscumque fidei vel infidelitatis, 271.

N 4

status,

» factis aut sexus : licitè, tanquam Minister or-  
 » dinarius & ex officio, Sacerdos habens juri-  
 » dictionem, aut commissionem, vel ex ejus com-  
 » missione, Diaconus : In casu tamen extreme  
 » necessitatis, omnis, qui potest validè, etiam sa-  
 » cit licitè, teneturque, ut proximo succurrat.  
 » Lay. l. 5. t. 2. ca. 7. Unde resolves

» I. Non tantùm Diaconus, sed nec Parochus,  
 » aut Episcopus, absque commissione extra suam  
 » Diocesiam, vel Parochiam, (vel intra eam alie-  
 » nos) licitè baptizat ; ideoque etiam peccant  
 » parentes, qui sine licentia sui Prælati alieno de-  
 » ferunt prolem baptizandam, cùm violentiut  
 » Parochi, Lay. l. 6.

» II. Diaconus non tantùm in extrema necessi-  
 » tate, sed etiam in alia notabili, baptizare po-  
 » test : Et quidem cum solennitate, ex commis-  
 » sione Episcopi vel Parochi ; ut si v. g. ob multi-  
 » tudinem baptizandorum, aliudve grave impè-  
 » dimentum, id ipsi facere non possint. Lay. l. 6.

» III. Cùm in necessitate confertur Baptismus,  
 » servandus est ordo ; ita ut si adsit, & non detre-  
 » ctet Sacerdos vel Diaconus, is reliquos præce-  
 » dat : Sic etiam Clericus laicum, vir mulierem, fi-  
 » delis infidelem, nisi sorte inferior meliùs nove-  
 » rit modum, ut solent obstetrices, (quæ proinde  
 » examinari, & approbari debent à Pastoribus)  
 » vel alia justa causa sit, ut quia virum ad parien-  
 » tiam ingredi non deest. Quòd si laicus baptizet  
 » præsentè Sacerdote, & secundùm quosdam,  
 » etiam præsentè Diacono, censent esse mortale,  
 » quia id laico tantùm competit ob defectum Sa-  
 » cerdotis, qui sine injuria Ordinis & Sacramen-  
 » ti, talem licentiam dare non potest. In reliquis,  
 » per-

perverfio illius ordinis est tantum veniale, praterquam si coram fidei haereticus adhiberetur, quod volunt esse mortale *L. y. n. 4. Kon.*

## A D D E N D A.

Q. 47. Quid circa Ministrum sit praevea notandum. *R. seqq.* 272.

§. 1. Minister ordinarius est solus homo viator, secundum dicta n. 50. Si tamen quis sciretur esse baptizatus a bono Angelo, vel Sancto aliquo, putant *Angel. Ser. Gob. tr. 2. n. 158.* non fore rebaptizandum, quis praesumendum esset, tale Sacramentum esse iussu Dei collatum, & ideo habendum pro rato, uti etiam notant *S. Th. Lugo* alique cum eodem *Gob. t. 1. n. 50.*

§. 2. Non requiritur certa aetas ad Ministrum Baptismi, uti habet communis contra *Abbat.*, qui putavit baptizantem debere esse 13. annis adultiorem baptizato, ut sicuti est pater eius spiritualis, ita potuerit esse carnalis, sed ratio illa nulla est, nam Parochus triginta annorum eminino licite baptizat Judaeum centum annorum, *Gob. t. 2. n. 151.*

§. 3. Quamvis baptizare non sit actus jurisdictionis circa baptizandum, cum baptizandus necdum sit subiectus Ecclesiae, tamen est actus habentis jurisdictionem circa fideles, quibus aggregandus est baptizandus, aggregatur enim illi Ecclesiae, in qua baptizatur, hinc soli Parocho, per se, competit baptizare in sua Parochia, *Dicast. d. 2. a n. 10.* Unde quamvis *Paulus III.* singulis de Societate JESU facultatem concedat ministrandi Poenitentiam, Eucharistiam, aliaque ecclesiastica Sacramenta sine alicujus praesudicio,

non est tamen illis data facultas baptizandi, nequidem in terris infidelium, ubi fundatae sunt Ecclesiae, hoc enim foret in praedictum Episcoporum & Parochorum ibi existentium, *Castrop. tr. 19. p. 9.* Si tamen proprii Parochi frequenter dissimulent, tum censeatur tacite consentire; imò *Hurt. & Gob. n. 132.* putant sufficere rati habitationem de futuro prudenter praesumptam.

275. §. 4. Peregrini possunt sibi eligere locum Baptismi, ubi volunt, *Barbos. Gob. n. 133.* Quod si mulier pariat in pago alieno, duabus aut tribus horis à domo sua distito, si vult, potest prolem baptizandam mittere ad Ecclesiam suam, potest tamen etiam ad alienam, ubi est, *Gob. supra:* In hoc tamen alieno pago proles non deberet à proprio, sed ab hujus pagi Parocho baptizari. *Gob. n. 135.*

276. §. 5. Absente Parocho potest quivis Sacerdos in necessitate, quamvis non extrema, fungi ejus officio, etiam solenniter, *Vasq. Gob. n. 136.* Ut autem Diacono committi possit Baptismus, etiam solennis, non requiritur nisi rationabilis causa, v. g. si Parochus non possit ob infirmitatem vel ob aliud justum impedimentum, & absit alius Sacerdos, *Suar. Laym. Con. Discr. Gob. n. 137.* Parochus verò Diaconus, & necdum Sacerdos potest jure ordinario, etiam solenniter baptizare. *Gob. n. 139.*

277. §. 6. Parenti prohibitum est baptizare propriam prolem legitimam, unde huic extra summam necessitatem praeferenda est in baptizando mulier, *Gob. t. 2. n. 142. & t. 7. n. 413.* Quod si laicus extra necessitatem baptizet, etiam non so-

solenniter, videtur esse mortale, uti habent *Suar.* d. 31. s. 4. aliique cum *Dicast.* d. 2. n. 20. & *Aversa* q. 67. s. 2. §. Quarto. contra *Sot.* & alios, quia in re gravi agit contra prohibitionem Ecclesie. Imò si non adsit, nisi Sacerdos censuratus, *Sayrus* l. 2. c. 2. n. 16. dicit hunc præferendum esse laico, quia necessitas dat omnibus habilitatem; sed oppositum probabilius dicunt *Suar. Bonac.* & alii, quia cum hic non detur tanta necessitas, prohibitio non cessat obligare censuratum, ut abstineat. Deniq; si infans necdum totaliter egressus ex utero sit baptizandus, mulier præferenda est cuicumque viro, etiam proprio Parocho, sic enim exigit honestas, *Platel.* p. 5. n. 143. Et de Baptismo talis infantis plura dicentur à n. 292.

Græci aliqui putant solum Sacerdotem esse Ministrum Baptismi, quo absente permittunt infantem sine Baptismo emori, sed hunc errorem rectè confutat *Arcudius* l. 1. c. 1. ex ipsis Auctoribus græcis, iterum à c. 12. dub. 1.

Q. 48. An licitum sis deferre vel mittere infantem, ut baptizetur à Prædicante hæretico. *Bl. n.* per se loquendo, quia peccat Minister indignus, si Sacramentum ministraret, & peccat laicus, si baptizet, uti constat ex hæctenus dictis, ergo qui mittendo vel deferendo infantem causa est, cur Prædicans, qui indignus & laicus est, baptizet, saltem ideo peccat, quia ejus peccato cooperatur, peritque Sacramentum ab eo, qui hic & nunc non potest, nisi indignè, ministrare.

Quæstio potissima est, an aliquando possit esse justa causa, vel circumstantia excusans perditionem ejusmodi Baptismi à Prædicante conferendi, v. g. si sub gravissima pœna alicubi prohibi-

hibitum sit catholicis parentibus, ne proles sua aliò ferant baptizandas, quid facere possint vel debeant. Circa hunc casum,

§. 1. Suadent omnes, si mater advertat se vicinam partui, ut proficiscatur ad locum catholicum, ibique natam prolem catholicè baptizari faciat, & postea domum reversa, si possit sine incommodo, faciat prolem à Prædicante inscribi libro baptizatorum, per hoc enim nullam in eo spiritualem potestatem agnoscit, sed tantùm adhibet cautelam pro habenda suo tempore attestatione suscepti Baptismi.

180. §. 2. Si v. g. mater sit catholica, & pater acatholicus, qui velit infantem quocunque tandem loco natum post aliquod tempus baptizari à suo Prædicante, *Less. in auct. V. Baptismus. Casu 1.* dicit matrem posse facere, ut infans antea privatim baptizetur catholicè, etiam à muliere, si alius desit, quia mater habet jus ad talem Baptismum proles suæ, maxime si esse diu expectandus Baptismus Prædicantis, cum periculo, ne moreretur infans: Putat tamen *Verjys t. 6. a. 6.* patrem postea esse admonendum de Baptismo jam collato, ne secundâ vice baptizari faciat. Quòd si esset justa ratio id reticendi, posset permitti secundus Baptismus. Quòd si etiam parentes catholici non possent sine gravissimo incommodo talem prævium Baptismum manifestare, *Arsdekin in resol. de hæreticis. q. 30.* dicit posse filere, ostendendo tamen, quòd sibi non placeat, si à Prædicante baptizetur. Si autem certò præviderent hoc futurum, *Lugo de fide d. 14. l. 5. n. 164.* dicit melius esse, ut infans prius non baptizetur à catholico, quia videtur esse minus malum,

malum, quod infans baptizetur ab hæretico, quam quod rebaptizetur.

§. 3. Si supponamus casum, quod catholici 281.  
parentes fiat gravissimè puniendi, nisi infantem  
positivè faciant vel petant baptizari à Prædicante,  
*Less. casu 1. Verj. suprà, Pignat. tom. 7. cons. 55. n. 2.* dicunt id petere aut facere non posse:  
Rationem dant 1. quia cum baptizatio sit actus religionis, petere baptismationem à Prædicante tanquam Ministro publico, est tacitè profiteri illum esse verum Ministrum talis ceremoniæ & Sacramenti ordinariè confrendi, hoc autem profiteri nullo casu licitum est, etiam si morset subeunda, inquit *Verj. 2. Quia Pignat. Consul. 41. refert declaratum esse à Clemente VIII., non licere extra necessitatem extremam, nequidem à schismaticis, recipere Sacramenta, quia non est licitum cum illis communicare in sacris ritibus, ergo multò minùs ab hæreticis.*

Hæc sententia est quidem absolutè tenenda 282.  
tanquam vera, quia tamen certum est in multis locis, ubi sunt talia pœnalia edicta, parentes catholicos facere deferri proles suas ad Prædicantes, uti habeo ex litteris & relatione Missionariorum, sitque durum omnes ejusmodi catholicos damnare, vel eis negare Sacramenta, si id cavere nolint, fortè dici posset ad primam rationem, quod petere baptismationem in istis circumstantiis sit tantùm profiteri, quod Prædicans sit validus Minister Baptismi, qualis revera est, & ideo nunc illum requirat, quia cogitur, & aliter evitare non potest injustam vexam. Quod *Conf. nam nullus catholicus aut etiam acatholicus in circumstantia talis pœnæ injunctæ judicabit talem*

lem parentem velle per hoc agnoscere in Prædicante potestatem spirituales, quia circumstantiæ coactionis simul loquuntur, & dicunt tantum requiri, tanquam validè potestatem baptizare. *Ad secundam*, consequenter dicendum esset, non peti ab eo ceremonias, sed tantum permitti, adeoque in eis non communicari; peti autem solum Baptismum pro tali necessitate, ut peti posset in necessitate extrema infantis, si nullus nisi Prædicans eum baptizare posset, quamvis prævideretur adjecturus ceremonias suas. Et in utroque casu maneret obligatio petendi à Sacerdote catholico suppleri ceremonias Ecclesiæ, uti fateatur *Pignat. Conf. 55. n. 8.*

*Dices.* Ergo etiam potero ob metum mortis eum calvinistis habentibus suam scenam stare, & ore admittere panem à Prædicante. *R. n. seq.* tum quia certum mihi est, Prædicantem non esse, nequidem validum Ministrum cœnæ Domini; tum etiam, quia omnes prudenter judicarent, me directè communicare in illa ceremonia cum illis: nec me juvaret contraria interna intentio, uti non juvat illum, qui ante idolum thus iujiceret igni, intendens se illo odore pascere.

Hæc dicta pro excusatione ejusmodi parentum catholicorum relinquo definienda sapientiore aliorum judicio.

## A R T I C U L U S II.

*An duo possint simul unum baptizare.*

283. **R** Esp. I. Si alter applicet materiam, alter formam, nullus erit Baptismus, quia dicens se ab-

abluere, cum non abluat, formam habet fal-  
 sam, etiamsi usurpet Græcorum, baptizetur ser-  
 vus Christi, vel quæ putatur illi æquivalere, Bap-  
 tizet te Christus, subintelligitur enim, per me;  
 alioqui si excludatur persona Ministri, ut sensus  
 sit, Baptizet te Christus, & non ego, sive non  
 per me, forma nulla est. In casu tamen necessi-  
 tatis, posse sub conditione ita Baptismum con-  
 ferri, ut v. g. mutus formam nesciens ablueret,  
 cæcus autem formam pronuntiaret, docet  
 Hurt. a. 2. diff. 6. Additque debere talem elapso  
 periculo iterum sub conditione baptizari. V.  
 Escob. Fill. t. 2. ca. 4. Dta. p. 5. t. 3. R. 26. ex Cha-  
 pevil. Marsil. Sc. Bon. to. 1. de Bapt. d. 2. q. 2. p.  
 4. n. 23. Layman l. 5. t. 2. c. 7.

Resp. II. Si plures Ministri singuli abluant &  
 formam pronuntient, graviter peccant contra  
 ritum Ecclesie: De valore sic solet distingui, 1.  
 Si quilibet intendit baptizare dependenter ab  
 alio, ut causa particularis, invalidè baptizant,  
 five singuli dicant, Ego te baptizo; five, Nos  
 te baptizamus, quia forma, cujus sensus cense-  
 tur esse absolutè & independentè baptizare,  
 non cobaptizare, est falsa 2. Si quisque, pec se  
 intendat baptizare independentè ab alio, vali-  
 dè baptizat, quia omnia requisita ponit, ut pa-  
 tet à simili in Missa ordinationis, quâ Sacerdo-  
 tes noviter ordinati simul consecrant cum E-  
 piscopo, dummodo simul eodem instanti for-  
 mam absolvant: si autem non simul absolvant,  
 is tantùm consecrat vel baptizat, qui priùs ab-  
 solvit. V. Fill. n. 72. Bon. n. 25. Lay. t. 7.

Plura circa materiam hujus Art. videri pos-  
 sunt apud Aversam q. 67. s. 1.

DU-

## DUBIUM IV.

*Quod sit subjectum Baptismi.*

284. **R** Esp. I. Subjectum capax Baptismi, est solus  
 homo vivus, ab Adamo descendens, non-  
 dum baptizatus.
- Resp. II. Validè baptizantur infantes, item  
 perpetuè amentes, qui nunquam usi sunt ratio-  
 ne, quia censentur ejusdem conditionis cum  
 infantibus. Si autem aliquando sint usi ratione,  
 non valet Baptismus, nisi ante amentiam peti-  
 veriat. V. Bon. d. 2. q. 2. p. 6. Laym. l. 5. t. 2. c. 6.
- Unde resolves
- I. Si puer inter baptizandum, nondum finitâ  
 formâ moriatur, Baptismus est nullus.
- II. Non valet Baptismus iteratus, ideoque ut-  
 terque, tum rebaptizans, tum rebaptizatus, pec-  
 cant moraliter, sicutque irregulares & in jure  
 civili subjacent pœnz mortis. Quas tamen pœ-  
 nas non videtur incurrere is, qui etsi sine justa  
 causa rebaptizat sub conditione, quia intelli-  
 guntur de Baptismo absolutè dato, quando mo-  
 raliter constat priorem Baptismum fuisse vali-  
 dum. Vid. Lay. c. 5. Bon. p. 5.
- III. Nondum perfectè natus est baptizandus,  
 si sit periculum, dummodo pars aliqua possit  
 abluï, quia est homo vivus, nec certò constat  
 esse incapacem.
- IV. Si dubium sit, an infans vivat, baptizan-  
 dus est sub conditione.

V. Validè baptizatur, quem Minister putat esse alium; aut licet sit puella, quam putat esse puerum, quia intendit baptizare presentem. Aliud est in Matrimonio, quia intendit contra-

VI. Validè, etsi extra necessitatem illicite, plures simul baptizantur, hac formâ, Ego vos baptizo, &c. Bon. p. 4.

VII. Monstrum, quod capite & pectore formam hominis refert, est baptizandum; secus si bestiam refert. Quod si verò caput tantum sit ferinum, putat esse baptizandum Comitolus: Nav. tamen & alii volunt differendum, donec certius cognoscatur, nisi periculum mortis immineret, tum sub conditione baptizandum esse. Quod si habeat membra hominis geminata, & dubitetur, nam sit unus homo, an duo, duplex Baptismus conferendus est, unus absolute, alter sub conditione, in ea parte, quâ membra apparent imperfectiora. V. Lay. n. 12. Bon. to. 1. de Bapt. disp. 2. p. 6. & Rituale Romanum tit. de Baptismo.

Resp. III. Extra mortis periculum, validè, non tamen licite baptizantur ethnicorum infantes, invitis parentibus. Ratio, quia vel auferuntur parentibus, & fit illis injuria; vel relinquuntur, & fit injuria Sacramento, quod exponitur irreverentiz. Quod si tamen possint christianè educari (ad quod tunc obligaberis) licebit in his casibus: 1. Si parentes sint tuamancia; tunc enim tui potiùs sunt quam illorum. 2. Si parentes aliquando fuerint baptizati, vel uterque; vel saltem alteruter; quia tunc Ecclesia jus in eos habet. 3. Si alter paren-

»tum petat; tunc enim iusta eius voluntas inju-  
 »stæ alterius præferenda est, in favorem prolis  
 »& fidei. 4. Si infans sit in periculo mortis. 5. Si  
 »rationis jam compos puer petat; quia in nego-  
 »tio religionis, est sui juris. In dubio autem de  
 »usu rationis, sufficit esse 7. annorum. V. Lay. l.  
 »e. Fill. e. 2 c. 6. Bon n. 12.

» *Quæres*, An Baptismus aliquando repeti  
 »possit, & quâ formâ.

» *Resp.* Cùm temerè rebaptizare sit mortale ex  
 »objecto, quia est in genere sacrilegii, dum con-  
 »aris ministrare Sacramentum incapaci, hinc ad  
 »hoc, ut non liceat rebaptizare, non requiritur  
 »certitudo de Baptismo, sed sufficit, si pro eo sit  
 »conjecturæ; ut v. g. quòd quis natus & educatus  
 »sit inter fideles, nec pro contraria parte ratio-  
 »nes alicujus momenti occurrant: leve enim,  
 »vel metaphysicum dubium non sufficit, sed re-  
 »quiritur grave & morale, vel saltem rationabi-  
 »le: In quo inclinandum esse in favorem bapti-  
 »zandi, rectè monet Lay. e. 5. nu. 3. & 4. ex Suar.  
 »& aliis, Unde resolves.

» I. Sub conditione baptizandi sunt. 1. Qui cum  
 »-materia & forma, aut intentione dubia (secun-  
 »dùm supradicta) sunt baptizati. 2. Infantes ex-  
 »positi, & reperti sine scheda testante de Baptif-  
 »mo; secus si cum ea. Ita *Commun. Quint.* tamen  
 »t. 1. f. 16. & 14. contendit etiam hos esse rebap-  
 »tizandos. 3. Baptizati ab obstetricibus veneti-  
 »cis; præsertim si falsæ vel convictæ fuerint, ali-  
 »quando non rectè baptizasse. Lay. n. 3.

» II Infantes ab obstetricibus, vel parentibus,  
 »vel cognatis, &c. ob necessitatem baptizatos,  
 »promiscuè omnes sub conditione rebaptizare,  
 »(quando

(quando obstetrices bonæ, & bene instructæ censentur) non licet, quia de valore Baptismi prudenter & rationabiliter dubitari non potest. Suar. Lay. c. 5. Qui tamen contrariam consuetudinem quorundam Parochorum damnare non audet, eò quod ipsi experientia didicerint, obstetrices non rarò fuisse deceptas à diabolo, ideoque revera periculum aliquod sit animæ, ob quod irreverentia cesset: additque eam consuetudinem approbatam fuisse à Pastoralis Romano edito Antverpiæ 1607. eamque sententiam tenet Sylv. apud Dian. p. 5. t. 13. R. 86. & ipse Dian. p. 9. t. 6. R. 35. cum aliis 2. censet eam probabilem, habereque locum in omnibus baptizatis ab hæreticis, licet sint adulti, quod C. de Lugo, R. mor. l. 1. d. 2. rectè limitat ad illas circumstantias, in quibus prudenter dubitari possit de defectu materiæ, formæ, vel intentionis. Denique etiam Quint. t. 1. f. 6. docet, infantes supradictos ferè omnes rebaptizari posse sub conditione.

III. Peccat graviter Minister, qui non rebaptizat eum, de quo rationabile dubium juris vel facti manet, num validè sit baptizatus, quia tenetur proximum liberare probabili periculo gravis mali, cum facile potest. Lay. l. c. Quintan. l. c. 2. si non diligenter inquirat in talis Baptismi valorem, nisi de hoc aliunde constet. Quint. f. 6 & 7.

IV. Non est rebaptizandus, de cujus Baptismo habetur testimonium unius oculati testis, licet fœminæ; dummodo non sit suspecta, nec aliud obstat. Laym. l. c.

V. Qui verè & rationabiliter dubitat de suo Baptismo, tenetur petere Baptismum, & Paro-

»chus ei conferre. *Quint. f. 13. § 19.*, & interea  
 »abstinere ab usu aliorum Sacramentorum.

» Resp. II. Baptismus sub conditione, hac for-  
 »ma conferendus est: *Si baptizatus es, non te bap-  
 »20. Si nondum es baptizatus, ego te baptizo in nomi-  
 »ne &c.* Ac licet sufficiat solâ mente conditio-  
 »nem apponere, si ex omissione non timeatur  
 »scandalum, tutius tamen est exprimere verba  
 »saltem ista: *si non es baptizatus, &c. vid. Tol. l. 2. c.  
 »19. Lay. l. 6. Suav. d. 31. Fill. t. 2. c. 4. q. 9. Patrinus  
 »autem in hoc Baptismo necessarius non est, nec  
 »adhibendus, Quint. f. 18.*

## A D D E N D A.

285. Q. 49. Quid notandum sit circa obligationem  
 suscipiendi Baptismum. *Be. seqq.*

§. 1. Est gravis obligatio, per se loquendo,  
 statim suscipiendi Baptismum, ideoque morta-  
 liter peccaret adultus, si absque justa causa diu  
 differret, uti rectè probant *Mendo dissert. 9. n. 12.  
 Aversa q. 68. l. 4. Dicast. q. 1. n. 253.* Similiter  
 mortaliter peccant parentes fideles, qui, v. g.  
 ultra mensem, sine sufficiente causa differunt  
 Baptismum sui infantis, quamvis non sit pericu-  
 lum mortis, quia universalis consuetudo & de-  
 creta plurimarum Synodorum, præscribentia,  
 ut non differatur ultra triduum v. g. vel quadri-  
 duum, obtinuerunt, aut sufficienter explicarunt  
 vim legis pro tota Ecclesia, *Castrop. tr. 19. p. 8.  
 n. 4. Platel. p. 5. n. 194.* Attamen *Sot. apud Laym.  
 l. 5. t. 2. c. 6. n. 8.* extendit ad octavum, decimum  
 aut etiam duodecimum diem, prout moris est.  
 Imò docet *Laym. n. 9.* si sollemnis Baptismus cum  
 causa differatur, v. g. apud Principes, quia ex-  
 pectari

pectari debet Patrinus, differri posse ad sesquimensum.

§. 2. Quæri solet, an sit tanta obligatio Baptismi suscipiendi, ut homo adultus possit se ob- 286.  
 jicere periculo mortis pro eo suscipiendo, & dicendum est posse, si postea non esset spes obtinendi Baptismi, quia securior est & utilior, etiam pro remissionis pœnæ: Non tenetur tamen se obicere, quia potest se aliter salvare, nempe per amorem Dei vel contritionem, *Suar. & Gob. t. 2. n. 122.* potestque videri *Aversa §. Quarto.* Addunt *Ochag. & Caram.* apud *Gob. n. 262.* non tantum licitum, sed etiam præceptum esse, ut qui aliter nequit baptizari, & advertit se non posse conteri, petat se in mare projici, ut baptizetur, quia tenetur vitam animæ anteferre vitæ corporis, & vult immergi optando baptizari, quod autem emergere non possit, præter ipsius intentionem est: Verùm sententiam illam alii non admittunt, quia videtur esse directa sui occisio, quæ nunquam est licita. V. dicta n. 335.

Q. 50. Qualis consensus seu voluntas requiratur in adulto. R.

§. 1. Constat ex dictis n. 163. & iterum à nu. 287.  
 166. in adulto habente usum rationis requiri intentionem saltem habitualement, adeoque non sufficere carere contrariâ intentione, uti multis evincit *Mendo dis. 9. n. 2.* Et consequenter, si quis dormiens baptizetur, cum antea nunquam voluerit, Baptismus est invalidus; si tamen antea baptizari voluisset, foret validus, secundum dicta n. 166., nisi fortè voluisset in vigilia tantum baptizari, *Gob. t. 2. n. 296.* Notatque *Meratius d. 6. f. 4.* intentionem adulti, per se loquendo,

debere esse liberam libertate tali, qualis ad mortale requiritur.

288. §. 2. Probabile est sufficere habitualement implicitam, secundum dicta. n. 168. Unde probabile est contra *Suarez* sufficere intentionem, quod quis generatim desiderat sibi adhiberi media ad salutem necessaria, quia *Christus* potuit sic instituire Baptismum, & concedit *Suar.* sic institutam esse extremam Unctionem, Baptismus autem est maximè necessarius ad salutem. *Con. Gob. n. 298.*
289. §. 3. Si quis haberet voluntatem interpretativam tantum, *Valent. & Ledesm.* putant sufficere, *Suar. & Vasq.* probabilius dicunt non sufficere: *Tann.* dubitat, hinc *Gob. n. 299.* dicit Baptismum sic collatum debere repeti sub conditione.
290. §. 4. Si quis compos rationis voluerit baptizari, sed nunc impos nolit, validè baptizatur, secundum dicta n. 176. Si autem dubitetur, an nunc, quando non vult, sit rationis compos, & sit periculum in mora, baptizari debet sub conditione; si non adsit periculum, differendus est Baptismus, donec plenè sibi restituatur, *Lym. Tamb. Schild. t. 6. cap. 2. Gob. n. 302.* Quid verò faciendum sit, si dubitetur, an puer absque consensu parentum petens Baptismum, habeat plenum usum rationis, dicitur n. 306.
291. §. 5. *Lopez p. 1. c. 12.* negat hominem à natiuitate surdum & mutum, ratione utentem, esse baptizandum: Idem negant *Ochag. Dian. p. 91. t. 6. R. 6. Herinx de Sacram. d. 3. n. 94. Bosco d. 1. f. 8. n. 18.* de furdo, cæco & muto, quia tales non videntur posse habere fidem, spem, attritionem,

nem, & voluntatem Baptismi. Econtrà *Coron. Con. q. 68. n. 94. Gob. in Exp. t. 2. n. 311. Burgh. cent. 2. casu 10.* dicunt surdum, cæcum & mutum esse habendum tanquam perpetuam amentem, eò quòd non videatur posse habere notitiam ad peccatum requisitam, adeòque baptizari posse. Si autem tantùm sit surdus & mutus, poterit per signa esse capax dispositionis & instructionis necessariæ.

Q. 51. Quid addendum sit circa Baptismum infantis adhuc in utero matris clausi & seqq. 292.

§. 1. Quamvis aqua per artem & instrumenta pertingeret ad corpus infantis, tamen talem Baptismum fore invalidum, docent multi apud *Aversam q. 68. f. 1. §. Quòd si. & apud Burgh. cent. 2. cas. 7.*, quibus consentit *Mendo d. 9. n. 25.* Econtrà fore validum docent alii communiter cum *Ledesm. Victor. Suar. Con. Aversa, Dicast. d. 2. n. 62.*, & rectè probat *Pignat. t. 1. consult. 103.*, quia talis infans est homo, cui debite applicari potest materia & forma, ergo. *Nec obstat, quòd Cap. Qui in maternis. De consec. dicatur, Qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest; nam tantùm dicitur baptizari non posse cum matre, idest, mediante carne matris, de cætero sicuti infans ille erat mortuus spiritualiter per peccatum originale, ita renasci potest spiritualiter per gratiam, quamvis non sit natus corporaliter, uti rectè Mendo dif. 9. n. 28.*, sic enim factum est *S. Joanni Baptista, & fieret infanti propter fidem in uterò matris occiso, uti dictum est n. 237.* Exigit tamen honestas, ut mulier, si instrui possit, conferat Baptismum infanti in utero, secundum dicta n.

348. Et si infans postea nascatur, esse rebaptizandum sub conditione, tenent authores communiter, quia censent sententiam, quæ negat valorem talis Baptismi, esse probabilem: Raynaudus autem tom. 14. in tr. *De ortu infantium per sectionem*, c. 6. n. 14. docet aquam non posse ita adduci ad infantem, ut baptizetur, eò quod nimis multis involucris & secundinis sit inclusus: sed alii multi contradicunt: & saltem secundinæ continuantur cum umbilico infantis.

293. §. 2. Praxin adducendi aquam ad talem infantem describunt *Schild. t. 6. n. 9. & Gob. t. 1. n. 57.* An autem mater teneatur permittere se secari, ut infans baptizetur, latè tradunt *Boudevv. p. 2. q. 20. & Gob. à n. 254. & omnium optimè Rayn.*, qui cap. 5. ex iudicio & experientia Medicorum probat sectionem sine periculo fieri posse, adeoque ad eam teneri. Præterea quid faciendum sit, si mater gravida moriatur, videri potest apud *Boudevv. Gob. & Rayn. supra*; sufficit hoc monere, quod os mortuæ debeat manere apertum, ut non suffocetur infans, si adhuc vivat, possitque excindi. Denique an à muliere gravida poenâ capitis damnata, si lethali ter ægrotet, possit, antequam moriatur, violento vulnere proles extrahi, ut baptizetur, doctè examinant idem *Rayn. & Mendo diss. 4. q. 5. & affirmativam partem tenent Suar. Con. Dian. Aversa §. Eò magis Dicast. supra.*

294. Q. 52. Quid circa abortus, prodigiosos infantes & monstra sit notandum. R. seqq.

§. 1. Authores gravissimi cum *Cardena* in t. crisi d. 14. c. 1. rectè dicunt omnes foetus abortivos mulierum etiam imperfectissimè figuratos esse

esse baptizandos, si dent aliquod signum vitæ per motum, quia putant aliqui Medici, quod fœtus humani, post paucos, v. g. tres aut quatuor dies à conceptione, statim animentur animâ rationali.

§. 2. Si infans prodigiosè nascatur, uti factum 295. esse in Belgio anno 1330. authenticè testatur *Loth* in *Resol. Theol.* tr. 15. a. 1., narrans virum, qui ridebat uxorem in partu ejulantem, ex imprecatione uxoris & ultione divina per novem menses se assisse dolorem maximum, & tumorem in femore dextro, ex quo excisus sit infans, talis infans non contraxisset quidem peccatum originale, uti habet communis cum *S. Th.* apud *Dicaft.* d. 2. n. 114., quia non descendisset ab Adamo per ordinariam & seminalem generationem; & consequenter si ille factus adultus generasset filios, neque hi contraxissent ob rationem jam datam, sed mansissent in puris naturalibus sine peccato & sine gratia supernaturali, unde si unus eorum statim sine Baptismo fuisset mortuus, probabile est post resurrectionem universalem gavisurum fuisse beatitudine naturali in hac terra: Nihilominus hi omnes debuissent baptizari, tum ut insignirentur caractere baptismali, & adscriberentur Ecclesie Christi, tum etiam, ut consequerentur gratiam sanctificantem, quâ carebant, simulque acciperent habitus supernaturalium virtutum.

§. 3. Si monstrum sit procreatum ex homine 296. masculo & bruto fœmella, baptizari debet sub conditione, quia probabiliter est homo, dubium enim est, an semen fœminæ ad fœtum activè concurrat, *Possev.* aliique communis contra

*Henriq.* Si autem monstrum sit procreatum ex muliere & bruto masculino, uti testatur *Besoldus* in *Thesaurō practico* v. *Schwangerung* pag. 884. mulierem aliquando fuisse, quæ tñr conceperit è semine, tale monstrum baptizari non debet, uti rectè *Dicaſt.* n. 119. quia certum videtur, quòd non sit homo, cùm ad generationem hominis omnes requirant semen viri. In dubio autem, an sit ex bruto masculino, baptizari debet sub conditione, si homo est, *Bonac. Schild. Gob.* in *Expet.* t. 2. n. 278. Addunt *Laym. & Dicaſt.* n. 117. si absit periculum mortis, semper melius esse, ut differatur Baptismus, donec certius cognoscatur, an homo sit, necne. Plura de monstris, item de natis ex dzmone incubo vel succubo, videri possunt apud *Boudevv.* p. 2. q. 21. & 22., item apud *Gob.* suprà casu 9.

297. Q. 53. Quid circa consensum parentum sit notandum. Bz. seqq.

§. 1. Baptismus est validus, qui confertur proli non utenti ratione parentibus invitis, qui non baptizantur in fide vel voluntate parentum, sed tantùm Ecclesiæ, *S. Th.* 3. p. q. 68. a. 9 & omnes communiter cum *Dicaſt.* d. 3. n. 71. contra *Durand. Silv. Palud. & alios*, quorum opinio communiter rejicitur tanquam improbabilis.

298. §. 2. Illicitum est baptizare prolem parentum infidelium, si hi inviti sint, quamvis essent subditi Principis volentis baptizari: 1. Quia hoc est contra usum & prohibitionem Ecclesiæ, nam *Julius III.* teste *Pignat.* t. 4. conf. 192. imposuit tali baptizanti pœnam suspensionis & multam 1000. ducatorum. 2. Plerumque ma-  
net

net præsens periculum fidei descendæ. 3 Pater habet jus in filium, cum filius sit aliquid Patris, eique subjiatur, ergo malè si tali modo subtrahitur, *S. Th. 2. 2. q. 19. a. 12.* aliique plurimi cum *Dicast. n. 81. & Gab. t. 2. n. 317.* contra *Scot. Gabr. Estium*; & ex parte contra *Arcudium l. 1. c. 12. dub. 2.* qui nihil vult resolvere, sed dicit consulendam Sedem Apostolicam. *Dices 1.* Puer debet eripi à morte temporali, etiam invito parente, ergo multò magis à morte æterna. 2. Debet prævalere voluntas Dei, qui præcipit Baptismum. 3. Legitur 1. *Machab. 2. v. 46.* quòd *Mathias & amici ejus circumciderint pueros incircumcisos, quorum quot invenerunt, utique etiam contra voluntatem parentum, quorum aras evertebant.* 4. Principi licitum est impedire hoc peccatum subditorum. *R. Ad 1.* disparitatem esse, quòd parens non habeat jus circa vitam proli, habet autem jus ad gubernationem. *Ad 2.* Deus non præcipit statim in hac circumstantia baptizari. *Ad 3.* Vel erant filii Judæorum, subiecti Legi, vel filii Gentilium subacti armis, & veluti servi, de quibus dicitur *n. 360.* *Ad 4.* Licitum est impedire peccatum subditorum, si obstet paci & rectæ gubernationi, e. secus, n, nam potestate civili adigi non possunt ad servandum jus etiam naturæ, nisi observatio ad pacem publicam faciat.

§. 3. Non requiritur consensus utriusque parentis, sed sufficit alterutrius, quia cum consensus permittentis sit in favorem religionis & ad salutem proli, alter autem parens irrationabiliter neget, meritò prævalet consensus prioris, *Suar. Laym. l. 5. t. 2. c. 6. n. 10. Aversa q. 68. l. 3.*

- §. *At verò Gob. n. 320. Dicast. n. 85. Gorm. d. 1. n. 62. Verjuys art. 12.*
300. §. 4. Si Parentes infideles sint strictè servi hominis christiani, potest illorum proles auctoritate domini baptizari parentibus invitis, quia jus in prolem spectat ad dominum, qui etiam sine injuria potest abstrahere à parentibus & liberare à subjectione actuali, *Suar. Vasq. Con. Laym. Avers. Gorm. Verj. suprà, Dian. p. 2. t. 15. R. 45. Dicast. n. 95. Gob. n. 318. contra Cajet.*
301. §. 5. Si proles in captivitatem abducatur, at baptizari possit, sufficit alterutrum parentem fuisse in Ecclesia, quamvis nunc uterque sit infidelis, quia cum Ecclesia habeat jus in parentem subjectum Ecclesie, etiam in tantum habet jus in prolem, *Laym. Dicast. n. 86. c. 105. Pignat. §. 1. conf. 71. Si autem neuter parentum fuit in Ecclesia, proles jure belli captiva, per se loquendo, baptizari posset, quia jam est serva christiana, Aversa §. Quintò.*
302. §. 6. Si parentes infideles sint mortui, potest Princeps christianus illorum proles sibi tantum politicè subjectas & non strictè servas curari baptizari invitis tutoribus, quia potest derogari juri tutorum, quod per leges civiles inductum est, *Dicast. n. 90. Gob. n. 321. contra Sot. Palud. Vasq.*
303. §. 7. Infantes illorum, qui invalidè baptizati sunt (ut, si apud Anabaptistas vel Calvinistas moris sit, ut unius effundat aquam, alter proferat verba) habent se sicuti infantes infidelium, tales enim parentes non sunt baptizati, sed re ipsa infideles, *Dicast. n. 107. è contrà infantes hæreticorum verè baptizatorum licitè baptizantur invitis parentibus, si ita velint legitimi*  
Supe:

Superiores ecclesiastici, quia eum hæretici sunt subditi Ecclesie, ab hac sine injuria compelluntur ferre pueros ad Baptismum catholicum, si autem recusent, justè abstrahuntur pueri & baptizantur, *Laym. n. 11. Dicast. n. 72. Verj. a. 13. Aversa §. Primò. Nec refert, quòd videatur fieri contra jus, quod parentes habent in prolem, nam jus alendi & instruendi prolem relinquitur iis, dummodo fiat in vera fide & Ecclesia, cui parentes subsunt; quòd si derectent, habet Ecclesia jus abstrahendi proles, ne pervertantur. In locis tamen, ubi acatholica religio permiffa est, non solet Ecclesia isto jure uti.*

§. 8. Potest, etiam invito parentibus, baptizari infans, si justè, vel etiam injustè, sit extractus extra potestatem patriam, tum enim parentes amiserunt jus proximum, seu actualem usum juris sui naturalis, & in jus succedunt illi, quibus nunc subsunt & baptizari mandant, *Laym. n. 10. Dicast. n. 84. Verj. a. 12.*

§. 9. Puer quicumque morti proximus baptizari debet, etiam invito parentibus, quia tum urget præceptum charitatis, & puer non subtrahitur dominio parentum per baptizantem, sed per ipsum periculum mortis, sic autem extracto licitè confertur Baptismus maximè illi necessarius. Docet quidem *Pignat. t. 5. conf. 14. n. 205. ex Conc. Mediol. sub S. Carolo Borromeo habito, puerum infidelis tum tantùm baptizari posse, quando nulla est spes, quòd possit supervivere, sed videtur sufficere periculum proximum mortis, maximè secundùm dicendum. 367.*

§. 10. Si puer petat Baptismum contra voluntatem

306.  
lun-

luntatem parentum, & dubitatur de pleno usu rationis in puero, si simul tum adsit periculum mortis, aut puer sit egressus septennium, aut parentes postea essent impedituri Baptismum, nunc autem videatur satis consultum illius constantiz, posset statim baptizari, quia in dubio de duobus præceptis oppositis servandum est majus, divinum autem præceptum de Baptismo est majus, quàm de non agendo contra jus parentum, *Sot. Suar. Vasq. Laym. Dicast. n. 78. Schild. t. 6. c. 2. Gob. n. 326.* Si autem absint ejusmodi circumstantiz, *S. Anton. Henriq. Azor & alii cum Dicast. n. 77.* probabiliter dicunt non esse licitum baptizare, quia parentes sunt in possessione patriæ potestatis, maxime, inquit *Bonac de Sacram. d. 2. q. 2. p. 6.* si puer necdum compleverit septennium, tum enim non potest præsumi usus rationis. E contra *Sot. Laym. aliique cum Diana p. 7. t. 11. R. 40.* dicunt licitè posse baptizari, quia in dubio favendum est potiùs innocenti quàm reo, puer autem est innocens & parentes impiè resistunt, neque universaliter verum est, quod in dubio semper sit melior conditio possidentis, sed tantùm, ubi est par causa, si ve simile jus, uti probare conatur *Lugo* in *Resp. Mor. l. 1. dub. 4.*, fusè discutiens hunc casum; hic autem non est par causa, nam parentes exponuntur soli periculo amittendæ patriæ potestatis, quod est quid leve, puer autem exponitur periculo æternæ salutis, quod est gravissimum: atque ideo concludit *Lugo* saltem puerum non debuisse reddi parentibus, sed afferri usque dum accedat plenus usus rationis, quod etiam suadent *Suar. de Sacram. d. 25. s. 3. Dicast. supra & alii.*

Q. 54. Si hereticus petat infantem suum baptizari à Sacerdote catholico, an hic licitè baptizet. R. Negant Suar. Con. Dicast. d. 2. à n. 109. & alii, quia infans ille exponitur evidenti periculo apostasie, non aliter ac infans infidelis, quem DD. passim dicunt non debere baptizari, si sit restituendus parentibus, quia nempe ob periculum perversionis fit irreverentia Sacramento & religioni. Econtrà Laym. l. 5. t. 2. c. 6. n. 12. Aversa q. 68. f. 3. §. Primo. Arsd. in resol. de hæreticis q. 31. Gob. t. 2. n. 324. dicunt licitè fieri, & esse praxin in Germania. Ratio est, 1. quia hæresis apud multos est materialis tantum. 2. Quia multi testantur, quòd vix tertia pars infantium perveniat ad annos discretionis, sicque periculum apostasie est incertum & valde remotum. 3. Quia multum confert ad conversionem ejusmodi puerorum, si postea audiant se catholicè baptizatos esse. 4. Hoc etiam tali proli est aliunde utile, cui præter certam materiam & formam, adhibentur sacre ceremonie & preces Ecclesie. 5. Denique eadem irreverentia contingit, etiam si infans baptizetur ab acatholico, nam etiam acatholicus confert verum Baptismum à Christo pro vera Ecclesia institutum, Ergo. Hæc sententia videtur satis probabilis, uti etiam notavit Diana p. 3. t. 4. R. 7.

Q. 55. Si infidelis petat se vel infantem suum baptizari, an id licitè fiat. R.

§. 1. Infidelis adultus volens infidelis manere, baptizari non debet, quia caret dispositione requisita, nempe fide & attritione, & per hoc fieret gravis injuria Sacramento & religioni, cujus gemma projiceretur ante porcum, idèque com-

com-

communis omnium sententia est, neminem esse baptizandum, qui prius ad veram fidem non accesserit.

309. §. 2. *Silv. Nav.* & alii putarunt infantes infidelium, si parentes petant, v. g. ut ita liberentur à morbo vel infestatione dæmonis, licet baptizari, quia illis conveniunt aliquæ rationes n. 367. allatæ pro infantibus hæreticorum, sed communiter contradicunt alii cum *Laym. Pignat. Discast. d. 2. n. 111.* Excipit *Gob. n. 325.*, nisi parens infidelis esset mortem illaturus nolenti baptizare, nam secundum dicta n. 144. possunt dari circumstantiæ excusantes Ministrum, qui etiam indigno Sacramentum confert.

310. Q. 56. Quid præterea dicendum sit in variis dubiis circa valorem suscepti Baptismi. R. præter dicta à n. 123., adde seqq.

§. 1. De illo, qui natus est de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter præsumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur, inquit *Inn. III. Cap. Veniens*, ult. de Presb. non bapt. Si tamen alia occurrerent, quæ præsumptionem contrariam facerent, aut tollerent certitudinem moralem, ut si infestaretur à dæmone, nec sciretur causa alia, peteretque instanter repeti in se Baptismum, rebaptizari deberet sub conditione, *Gob. t. 2. à n. 383.* De puero *Barbaris* erepto, vide dicta n. 125.

311. §. 2. Si certum sit unum è viginti non esse baptizatum, nesciatur autem quis ille sit, omnes debent sub conditione rebaptizari, quia potest prudenter dubitari de singulis, *Lug. Discast. Gob. n. 699.*

§. 3. Si baptizans fuit perturbatus, idēoque dubitet, an aliquid essentialē omiserit, si unus adstantium, reliquis non contradicentibus, testetur hoc esse appositum, de cuius omissione dubitatur, nil debet repeti; si testes discordent, aut unus contra alios testetur esse omissum, aut nullus testetur, repeti debet, quia prudenter dubitatur de valore, & unus ille testans esse omissum gignit dubium morale, *Gob. n. 424. & 427.* 312.

§. 4. Qui aliās non est scrupulosus nec hypochondriacus, sed prudens, & nunc magnis scrupulis ac longā inquietudine agitatur circa valorem sui Baptismi, hoc ipso rebaptizari potest sub conditione, quia videtur gravis causa & dubium prudens, ob exempla non baptizatorum, qui ita internē sunt agitati, *Quintanad. tr. 1. sing. 8.* & alii cum *Gob. à n. 446.*, ubi refert casus, in quibus etiam ex infestatione spectrorum iudicatum sit, causam esse sufficientem. 313.

§. 5. Si quis sit dubius de valore sui Baptismi dubio juris tantum, quia nempe DD. aliqui probabiliter affirmant, alii probabiliter negant Baptismum fuisse validum, *Dicast. d. 1. n. 217.* *Gob. à n. 414.* dicunt talem licitē suscipere reliqua Sacramenta præter Ordinem & Matrimonium, quia est in possessione, quod sit Christianus, & reliqua illa Sacramenta suscipiendo non est periculum nocendi alicui tertio. Oppositum quoad omnia Sacramenta, videtur tenendum propter dicta à n. 105., quia non est licitum Sacramenta suscipienda exponere periculo nullitatis, cui reipsa exponeret talis suscipiens. 314.

§. 6. Sacerdos dubitans de valore sui Baptismi tenetur secundum dicta n. 126. ex charitate & iustitia iterum baptizari, & iterum suscipere ex quadam 315.

quedam convenientia omnes Ordines, etiam probabiliter Minores, *Quintanad. sing. 10. Gob. à n. 432.* Quid autem facere debeat, si ille multos confitentes audiêrit, aut Missas pro stipedio legerit; item ad quid teneantur pœnitentes ejus, si resciant de illius Baptismo dubitari, explicat *Quintanad. sing. 11. & Gob. à n. 439. & 441.*, dicemûsque postea de Pœnitentia.

316. §. 7. Si dubium fiat de Baptismo Religiosi, baptizari debet à Parocho loci, iterumque sub conditione confirmari & ordinari; non est tamen opus, ut novitiatum repetat, quia est probatus, *Sylv. in resol. variis p. 1. v. Baptismus. cal. 3.*
317. §. 8. Si fiat mutatio sexûs, v. g. fœmina in virum, non debet repeti Baptismus, sed tantum mutari nomen fœmininum in masculinum, ut dicetur n. 331.

Alii casus 24. circa dubium Baptismi videri possunt apud *Gob. à n. 656.* item apud *Quintan. sing. 1.* casus de Parocho vel obstrice, quæ dicit se per decem annos caruisse intentione baptizandi, ubi docet *Quintanad* omnes & singulos esse rebaptizandos, non obstante quòd fortè probabile sit Deum supplere intentionem, ut ipse docet *sing. 2.*

318. Q. 57. Quid dicendum sit de infantibus expositis. R. Probabilius videtur esse rebaptizandos sub conditione, etiam si inveniuntur cum apposito sale vel cum scheda testante de Baptismo, ita multi cum *Quintan. t. 1. sing. 9. Schild. t. 6. cap. 2. Gob. t. 2. n. 397. Burgh. Cent. 1. cal. 94.* Idem statuit *Synodus Coloniensis* sub *Maximiliano Henrico* pag. 59. dicens, quamvis sal adfuerit, rebaptizandos esse sub conditione, nisi certioribus testi-

testimoniis baptizatos esse comprobetur: Ratio est, quia Baptismus obstetricum merito censetur dubius, nisi sciatur eas esse probas & bene instructas, edicantque modum, quo baptizarent, ergo multò magis hic Baptismus censeri debet dubius, nam communiter confertur à matre, quæ fortè nunquam vidit baptizari, nunquam didicit, nec præ pudore petere voluit, metuens tamen, ne proles fortè moreretur, baptizavit, uti sciuit. Deinde posset infans à Judæo esse expositus vel ab alio execrante Baptismum, uti rectè notant Sylv. & Mercerus apud Platel p. 5. n. 139.

Q. 58. Quid dicendum sit de baptizatis ab obstetrice vel laico. R. seqq.

§. 1. Baptizatus ab obstetrice vel laico æquè parùm rebaptizari potest, quàm baptizatus à Parocho, si post examinatam materiam, formam & intentionem, cum qua Baptismus est collatus, non sit prudens dubium de Baptismi valore, Sylvius p. 1. V. Baptismus. cas. 1. Dicast. d. 1. n. 178. Ratio patet, quia non est satis potuisse errari, cum Parochus etiam errare potuerit, sed debet error prudenter præsumi posse. Nec refert, quòd fortè in aliquibus Dioccesibus sit consuetudo rebaptizandi, approbantibus multis Auctoribus, uti testantur Gob. t. 2. à n. 171. & Arsd. de Bapt. cap. 2. §. 3. n. 7. Nam consuetudo illa fundatur in erroribus aliquando animadversis, de cætero consuetudo nil potest immutare circa jus divinum, à quo pendet permissio, prohibitio vel jussio reiterandi Baptismum, Gob. n. 175.

§. 2. Quisquè l'icè sequitur statuta suæ Diocesis circa rebaptizationem illius, qui ab obstetrice vel à laico est baptizatus, Marchant. Gob. n. 171. Abstrahendo tamen ab ejusmodi statu-

ris, plerique ab imperitis, & à mulieribus baptizati, licitè rebaptizantur sub conditione, quia sæpe deprehensi sunt errores, ab iis commissi, ut refert Gob. à n. 178.

321. §. 3. Quando obstetrix est integræ famæ, animosa, circumspècta, sæpius exproba & probata semper egisse rectè, cum proles nequidem sub conditione est rebaptizanda, si illa asseveret eam à se esse legitimè baptizatam, quia cum non possit esse prudens dubium, *Quintanadv. Gob. n. 183.*; rebaptizare autem extra prudens dubium, quamvis adsit scrupulus levis, debet ordinariè censeri mortale, *Hurtad. Gob. n. 353.*

§. 4. Baptizatus ab obstetrice venefica rebaptizari debet, quia meritò est dubium, *Gobat. n. 402.* & iterum à n. 683. In dubio, an fuerit venefica, putat *Gob. n. 697.* non esse rebaptizandū, quia in dubio non præsumitur delictum; sed videtur dicendum rebaptizandum esse, si dubium sit prudens, quia tum etiam prudenter dubitatur de valore Baptismi.

322. Q. 59. Quid dicendum sit de baptizatis ab heretico Prædicante. R. Hos omnes rebaptizandos esse docent *Quintanadv.* aliique plures cum *Dicast. d. 1. n. 181.* quod *Gob. t. 2. n. 392.* dicit sibi videri certum quoad baptizatos à Prædicantibus Anglis vel Hollandis, eò quòd constet nullam ferè religionem jam diu fuisse in Anglia, in Hollandia autem numerari ad 80., & quis credat, inquit, apud hos non esse errores substantiales etiam circa Sacramenta? Ideòque n. 396. tandem deflectit in sententiam *Dicastilli.* De Anglis idem docet *Sylv. p. 1. v. Bapt. cas. 3.* Ratio potest esse, quia Prædicantes multi putant Baptismum non esse ad salutem necessarium, sed

sed sufficere fidem parentum, ideóque negligunt aliqua necessariò requisita; aliqui utuntur aquis odoriferis, non curando, an sit elementaris, dummodo sit fluida; quandoque unus affundit aquam, dum Prædicans profert formam, vel ex cathedra legit Evangelium. Etiam metuendum est, ne careant intentione debitâ, nam, uti jam accipio per litteras, à quodam Missionario, petunt quandoque an parentes velint prolem baptizari Catholicè, an Lutheranè; item, inquit idem Missionarius, quivis baptizat, prout assuevit, vel sibi formulam fabricat, absque cura, dummodo in speciem verba proferat, quæ Baptismi collationem qualitercunque significant, & ita ex rituali suo dicunt multis locis, *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritus S.*, omisso, & quam formam licet n. 35. cum communi dixerim valere, tamen Comitulus l. 1. q. 7. negat valere, & Catholici malunt pro securitate addi *Patris & Filii &c.* prout habet forma à Christo nobis tradita *Matth. 28. v. 19.* Ex quibus colligo, si in quibusdam locis sint ita incurri Prædicantes, nec sollicitè observent ea, quæ catholica Ecclesia requirit ad valorem Sacramenti, debere à talibus baptizatos sub conditione rebaptizari.

Q. 60. *Quid observandum sit, si repetatur Baptismus.* R. Præter notata à Busenbaum & relata n. 284. observanda sunt seqq. 1. Quando sub conditione repetitur Baptismus, probabile videtur, quòd non sit obligatio confitendi, quia libertas est in possessione, certum enim est baptizandum non fuisse obligatum confiteri ante Baptismum, & supervenit dubium de Baptismo,

- ex quo sequeretur ea obligatio, possessionem autem certam non expugnat dubium superveniens. 2. Adultus, qui baptizatur, tenetur promittere saltem attritionem, non quidem de peccato originali, sed de actualibus mortalibus, si commiserit, Gob. t. 2. n. 404. 3. Baptismus, qui ob dubium sub conditione repetitur, secundum aliquos potest licite peragi omni loco, & a quocunque, etiam laico, eo quod Canones statuunt, ut fit Parochus vel Sacerdos, videantur tantum loqui de Baptismo absoluto: quidquid sit de hoc, melius est etiam in Baptismo, qui sub conditione repetitur, se accommodare usui communi, & adhibere saltem Sacerdotem, si haberi possit, Gob. n. 405.; imò Parochum ipsum, secundum dicta n. 376.
326. Q. 61. An ille, qui moritur dubie baptizatus, sit sepeliendus loco sacro. R. De hoc aliisque ad sepulturam pertinentibus agemus lib. 7., quando de excommunicatione.

## DUBIUM V.

*De Ceremoniis Baptismi.*

### ARTICULUS I.

*Que servanda circa Ceremonias baptizandi.*

327. **R**esp. Ceremonie Baptismi petende sunt ex Agenda cujusque Ecclesie. Universim tamen circa eas servanda sequentia. i. Baptismus extra necessitatem absque peccato non potest conferri, nisi in aqua consecrata: quæ cum de-

est, habetur formula brevis in quibusdam A-  
gendis, ex tempore aliam consecrandi, pro casu  
necessitatis. Quod si etiam hac formula careas,  
adhiberi potest aqua communis benedicta. 2.  
Baptismum sollempnem non conferendum, nisi  
in templo, & loco ad id deputato, nisi filiis Re-  
gum & Principum: quibus adde filios Catholi-  
corum, in locis hæreticis: interim quoad hoc,  
in magnatibus & nobilibus connivetur in mul-  
tis locis. *Laym. l. 5. t. 2. c. 8. n. 8. 3.* Infantes ex  
consuetudine deferendos ad Baptismum, circa  
diem octavum, nisi prius sit necesse, vel nisi sit  
gravis causa dilationis (v. g. quia patrini sunt  
expectandi) in qua tamen non licet communi-  
ter, extra necessitatem, privatim baptizare, &  
postea adhibere solennitates, sed præstat expe-  
ctare aliquamdiu. *Laym. c. 6. n. 8.*

IV. Baptizanti non licet adhibere ceremo-  
nias aliquas, omissis aliis: quia vel fiet in Bapti-  
simo sollempni, quod prohibet *Trid. sess. 7. c. 3.*, vel  
privato, sed in hoc prohibet *Clementina unica*,  
illas adhibere, nisi sit filius Regis aut Principis.  
De patrino tamen usus habet, ut & tunc adhi-  
beri possit, etsi non sit necesse. Et multi pu-  
tant adhibitum non contrahere cognationem  
spiritualem, nec verè Patrium effici, ut *Sanch.*  
*Rodrig.* contra *Laym.* & *Suar.*, quorum tamen  
sententia videtur probabilior.

V. Cum in necessitate, vel aliam ob causam  
(nam ob gravem causam, v. g. iustum timorem  
infamiz, aliquando licitè fit) Baptismus sine ce-  
remoniis est collatus, eâ cessante, illæ solenni-  
ter in templis sunt supplendæ. Quod tamen nō  
est moris in hæreticis conversis, ne plebs putet,

- »nos eorum Baptismum improbare. *Lay. c. 8. n. 10.*  
 »Imò in aliis omittere, secl. so contemptu, esse  
 »tantùm veniale, docet *Possev. de off. Cur. c. 6. n. 33.*  
 »Qui autem tenet more Patrini infantem, dum  
 »ceremoniæ suppleantur, non contrahit eum eo  
 »cognitionem spirituales, *Dian. p. 3. t. 4. R. 260.*  
 »ex *Pontio* dicit esse probabile.  
 » VI. Si Baptismus collatus deprehendatur  
 »fuisse invalidus, non ideo repetendæ sunt ce-  
 »remoniæ.

## A D D E N D A.

328. Q. 62. Quid agendum sit, si nolit vel obstetric  
 assistere, vel Parochus baptizare infantem, nisi mater  
 manifestet Patrem. R. Saepe expedit ad bonum  
 commune, ut rescatur, quis sit Pater cujusque  
 infantis, tum ut provideatur alimentatiõni &  
 educationi illius, tum ut deterreatur quisque ab  
 illicito concubitu: hinc in quibusdam Dicecesi-  
 bus mandatur, à civili aut etiam ecclesiastico  
 Magistratu obstetricibus, ut non assistant, & Pa-  
 rochis, ut extra periculum mortis non baptizent  
 prolem, nisi mater manifestet Patrem, qui et-  
 iam referri debet in librum baptismalem. In  
 hoc itaque casu, si ita mandetur, vel alicubi sit  
 consuetudo, tenetur mater sic interrogata ma-  
 nifestare Patrem: Alibi non tenetur nec debet,  
 ne Patrem infamet, *Gob. t. 2. n. 160.* Sed ex illa  
 præcisè nominatione mulierculæ non potest  
 certò credi huic vel illum esse Patrem, facile  
 enim posset Mater velle celare verum Patrem, &  
 in alium conjicere tale crimen, unde Parochus  
 communiter inscribere non debet, v. g. natus  
 Titio Patre, sed sic, uti Mater dicit, Titio Patre. Si

Si tamen alia signa credulitatis accedant, cogi potest sic nominatus ad alendam suo tempore prolem: quod si aliquis ex justa causa permittat se dici Parentem & pro tali inscribi, per se loquendo, non peccat, sed per accidens difficulter effugietur omne mendacium. De hoc tamen videri potest *Gob* in annotatione post num. 163.

Q. 63. Quid addendum circa nomen, quod in Baptismo imponitur. R. seqq.

§. 1. Non est quidem præceptum, est tamen 329.  
pium monitum *Pii V.* & *Pauli V.*, ut infantibus non imponantur nomina, nisi Sanctorum; pro quo multas congruentias affert *Rayn.* in libello de pietate erga particulares Sanctos c. 11.; hinc non peccat, qui imponit nomen hominis etiam non beatificati. Non est tamen facile acquiescendum volenti imponere nomen ethnicum, quia est quædam offensio Christiani nominis, uti habet *Catech. Rom.* de Bapt. cap. 14. n. 3. Improbant etiam *Vasq.* & *Quintanadv.* nomina antiqui testamenti, quia videtur deotari sanguis hebræus; sed quoad hæc facienda non est difficultas pro his partibus, in quibus passim usurpantur nomina *Adami*, *Danielis*, *Jeremiæ*, *Tobie*, *Jacobi*, *Davidis*, *Abrahami*, &c.

§. 2. Si non possit satis dignosci, an infans sit 330.  
masculus, an foemina, & videatur esse periculum mortis, omitti potest nomen, & dici, *creatura Dei, ego te baptizo* &c. Si autem infans putetur superviviturus, *Vivald.* & *Chapeav.* dicunt illi dandū esse nomen viri, quia in dubio præsumitur sexus masculinus, cum natura semper ad eum utpote perfectionem tendat; alii putant dandū esse nomen foeminae, quia natura deficientis solet harum

plures procreare : *Gob. tr. 2. n. 339.* melius dicitur imponendum viri & foeminae, sicuti de facto multi viri vocantur, *Petrus Maria &c.* postea autem cum apparuerit, cujus sexus sit, nomen oppositi sexus poterit vel dimitti vel etiam retineri, nam constat in hac nostra Germania etiam masculis in Baptismo dari nomina, v. g. *Petrus Maria Joseph.*

331. §. 3. Si sexus mutetur, v. g. si quis ex foemina fiat vir, quod frequenter factum esse testantur Authores apud *Gob. n. 338.* nomen è foeminatione mutandum est in masculinum, vel contra v. g. vocando pro *Petronilla* *Petrum*, pro *Joanne* *Joannam*, ad quam mutationem non requiritur auctoritas Episcopi, uti vult *Sotus*; neque Superioris, uti vult *Sa.*, sed fieri potest auctoritate privatâ, uti melius docent *Abb. Bonac. & alii*, cum nulla de hoc sit lex vel consuetudo rectè tamen notat *Gob. n. 340.* ad confusionem & errorem vitandum monendos esse paternos vel Parochum. Addit *Dicast. d. 1. n. 154.* nomen in Baptismo impositum posse propriâ auctoritate mutari, eò quòd non videatur ullo jure prohiberi. De cætero, debet ordinariè nomen imponi secundum designationem Parentum, *Gob. n. 342.*

332. §. 4. Nulla ex nomine capi potest præsumptio de natura vel vitio alicujus, unde frivolum est dicere, v. g. de aliquo *Petro*, quòd sit calidi capitis; de aliquo *Juda*, quòd sit furax; per accidens enim est sic vocari, nec nomen impositum aliquid confert ad naturam, *Gob. n. 343.* contra aliquos Juristas.

Q. 64. Quid circa Baptismum solennem & pri- 333.  
vatum sit addendum. R. seqq.

§. 1. Baptismus tum dicitur solennis, quan-  
do fit cum ritibus & ceremoniis, etiam si fiat do-  
mi vel alio loco privato, nam licet locus sacer sit  
inter requisita ad solennitatem, tamen reliqua  
sunt potiora, ideoque ab illis desumenda est de-  
nominatio, Gob. tr. 2. à n. 484. Solenni itaque  
non opponitur privatus, sed tantum non solen-  
nis, id est, factus sine plerisque & præcipuis riti-  
bus seu ceremoniis ab Ecclesia præscriptis.

§. 2. Baptizare extra Ecclesiam sine necessi- 334.  
tate est mortale, Gob. n. 491. Nec obstat 1., quod  
in Ecclesia non sit fons baptismalis, sed aqua ali-  
ter afferretur; nam præceptum non est principa-  
liter propter fontem, sed propter Ecclesiam Sa-  
cramentorum administrationi & divinis pera-  
gendis deputatam, maxime pro Baptismo, per  
quem quis in Ecclesiam ingreditur. Nec obstat 2.,  
quod sit in urbe hæretica, si id ab hæreticis per-  
mittatur, nam ideo tantum Authores cum Bu-  
senbaum excipiunt, ubi Catholici inter hæreti-  
cos degunt, quia infantes sine damno vel in-  
commodo ad Ecclesiam deferri non possent,  
quo absente præceptum grave obligat, ut fiat in  
Ecclesia.

§. 3. Ut liceat privatim baptizare domi, fa- 335.  
ctis est esse prudens dubium, conjecturam, timo-  
rem aut præsumptionem periculi, ne infans mo-  
riatur, v. g. si obstetrix dicat esse periculum,  
Quintanadv. Gob. n. 498. Signa autem periculi  
sunt varia, v. g. si infans sine fletu nascatur, nam  
tum non habet sensus vivos, alioquin egressus  
in aërem sentiret frigus; si mater difficulter sit  
enixa,

enixa, tum enim violentè pressus est infans; si in utero ad quintum, sextum, aut ante septimum mensem profiliat, signum est deficere nutritionem, & quando nascetur, fore debilem; denique si nascatur octavo mense, nascitur mense periculosissimo, hinc tantò magis attendi debet, ut citò baptizetur, ita ex iudicio Medicorum *Quintanadv.* & *Gob. n. 499.*

336. §. 4. Si infans nequeat deferri ad Ecclesiam sine periculo infamiz parentum aliòve damno gravi, potest domi solenniter baptizari, *Jordan. Gob. à n. 500.*

337. §. 5. Si nobilis petat prolem suam domi baptizari, aut in Ecclesia, sed clam, & secrete, & solennitate reservatis in aliud tempus, quando aderunt amici, neutrum concedi potest, nisi pro pueris Regum vel principum, uti hic asserit *Busenbaum*, & ex Decreto *Clementis V.* evincit *Sylvius V. Baptismus. cas. 4.* dicens utrumque esse mortale, si fiat, nisi alicubi prævaluisset consuetudo legitime præscripta: *Riccus* tamen & *Quintanadv.* nomine Principum, quorum filii, nepotibus & pronepotibus permittitur Baptismus domi, intelligunt etiam *Grandes Hispaniz, Comites, Barones, Legatos Regum. Jordan.* universim omnes obtinentes jurisdictionem temporalem; hinc in quibusdam *Dioecesibus*, teste *Gob. n. 492.* permittitur omnibus Nobilibus, ut possint facere baptizari in sacello domestico: Quod hanc *Archidioecesin Coloniensem* attinet, interrogatus *Vicarius Generalis* anno 1700. Respondit mihi absolutè non licere Parochis baptizare in domibus Nobilium; attamen semper attendenda est consuetudo locorum & temporum. §. 6.

§. 6. Si licitum sit baptizare privatim, videntur adhibendæ ceremoniæ, quia absolutè, extrà solum casum necessitatis, prohibetur Baptismus sine ceremoniis, *Sotus, Tolet. Castrop. Con. Gob. n. 476.* contra alios. 338.

§. 7. Mortale est negligere ceremonias omnes, aut etiam unam notabilem, v. g. unctionem chrisimatis, quia talia tam studiosè & toties præscribuntur, ut meritò colligatur omissionem eorum esse grave peccatum, *Nugnus, Gob. n. 469.* Negligere autem ritus suæ Ecclesiæ, putant magnum veniale esse *Chapeav. Tann. Gob. n. 470.* nisi sit locus exemptus, in quo licitum est baptizare ritu Romano. 339.

§. 8. Quando ex causa omisæ sunt ceremoniæ, hæc postea esse addendas in Ecclesia, & quidem sub mortali, docet *Aversa q. 71. l. 1.*, quod videretur tenendum, quamdiu infans est parvus: *Consentit Pignat. tom. 7. Consult. 59.*, si etiam adultus conversus ad fidem petat ea sibi fieri. Debent autem addi etiam exorcismi, quamvis baptizatus non ampliùs sit in peccato, *Gob. n. 507.* 340.

§. 9. Si Baptismus cum suis ceremoniis sit invalidè collatus, *S. Antonin. Regin. Castrop. tr. 19. p. 12. n. 24.* dicunt, quando Baptismus publicè repetitur, etiam repetendas esse ceremonias, quis accessorium sequitur principale: è contrà probabiliter negant *Suar. Henriq. Con. Bonac. Aversa & Busenbaum* suprà, nisi sit alia alicubi consuetudo, quia ceremoniæ valent, etiam separatæ à Baptismo. 341.

Quamdiu differri possit Baptismus infantis, dictum est. n. 235.

342. Q. 65. Quid circa chrisma sit addendum. *Re. seqq.*

§. 1. Si post diem Jovis sanctum sit baptizandus infans, & Pastor necdum acceperit novum chrisma vel oleum, *Marchant.* suadet, ut pramittat alia de more & baptizet, postea verò suppleat unctiones: *Gob. tr. 2. n. §. 1.* dicit, si absit periculum, ut moriatur infans, posse differri totum Baptismum; si autem esset periculum, poterit antiquum chrisma adhibere; imò si in sua Diocesi sit talis usus, poterit antiquo uti, donec novum accipiat.

343. §. 2. Si anno necdum finito advertat defecturum chrisma & oleum, affundat guttatim oleum olivarum, ita tamen, ut, quod infunditur, sit semper minùs oleo consecrato, *Gob. n. §. 12.*

344. Q. 66. Quae sit significatio ceremoniarum Baptismi; & quae auctoritas libri baptismalis *Re.*

§. 1. De significatio-*ne* ceremoniarum, quae antecedunt, comitantur & sequuntur Baptismum, agunt fuse *Bellarmin.* hic à c. 25. & *Castrop.* tr. 19. p. 12. ; brevius *Scouville* in *Catech. de bapt.* à q. 93., qui videri possunt.

345. §. 2. Liber baptismalis facit fidem in quovis tribunali, hinc Parochus circa annotationem in eo libro debet esse accuratus, & observare sequentia: 1. Ut notet diem & horam nativitatis, si resciat, nam hoc serviet ad sciendam aetatem necessariam per Ordinibus, jejuniis, liberatione à tutela & curatela, pro professione religiosa, &c. 2. Ut distinguat Patrinos à testibus seu assistentibus pro honore. 3. Ut notet, an Baptismus fuerit factus in necessitate sine ceremoniis,

an conditionatus tantum &c. nam secundum dicenda à n. 357. debet inde colligi, an cognatio cum hoc vel illo contracta sit necne. 4. Si baptizetur expositivus, notet, ubi repositus sit, quot circiter dierum vel mensium, quinam adstiterint. 5. Si baptizatus erat alienus, monet Parochum proprium, ut suo libro inscribat omnia. 6. Si constet, semper addat, quod legitime sit natus ex his vel illis parentibus: si nesciantur parentes, notet ignoratos fuisse. 7. Sub sera vel claustro custodiat librum, ne à quovis inspicatur. De ceremoniis Baptismi apud Græcos, videri potest Arcudius l. 1. c. 17., ubi c. 16. notat Græcos uti & Latinos adhibere oleum Catechumenorum.

## ARTICULUS II.

*Qui Patrini, & quod eorum officium.*

Resp. I. Patrini sunt quasi patres spirituales, qui baptizatum de fonte suscipiunt in suam curam. Unde eorum officium est, baptizatum de rebus fidei instruere, orationem Dominicam & Symbolum docere; ad quod obligantur, si id ab aliis non fiat. *Laym. l. 5. t. 2. c. 9.* 346.

Resp. II. Ut quis validè sit Patrinus, non certa ætas, sed requiritur 1. Usus rationis. 2. Ut ipse sit baptizatus, (quia non potest esse pater, qui ipse nondum sit natus.) Et quidem, ut ejus Baptismus fuerit validus; quia accessorium sequitur principale. 3. Ut à parentibus vel Parocho

cho

cho ad hoc designatus sit: ad quod videtur sufficere, si etiam ultro se ingerens sit admissus: designatos autem rite à parentibus, Parochus non valide mutat, *Dian. p. 9. t. 7. R. 50. 4.* Ut in ipso Baptismo (quia non sufficit ut in solis ceremoniis) per se, vel procuratorem tangat, teneat, aut de manu baptizantis suscipiat. 5. Ut id non materialiter tantum, sed animo susceptoris, sive cum intentione id munus gerendi faciat. *Laym. 6. 9. n. 2.*

Resp. III. Valide quidem, sed illicitè sunt Patrini. 1. Abbas & Monachus: Quo nomine non veniunt Mendicantes, etsi *Lay.* omnes claustrales comprehensos velit: & quoad Abbates, in multis locis consuetudo sit contraria. 2. Coniuges respectu conjugum, & parentes respectu filiorum, nisi sit necessitas. 3. Moribus infamati. 4. Apostatae & hæretici, qui nullo casu videntur advocandi, quia ea advocatio esset protestatio quasi falsæ religionis, cum non nisi de falsa fide sint sponsuri: etsi *Laym. n. 7.* probabiliter dicat, posse subinde ob gravem causam admitti: Catholici verò, ob rationabilem causam, infantem hæretici, baptizante Prædicante, suscipere possunt, saltem in Germania, *Laym. n. 6.* 5. Plures quàm duo: quia *Trid.* non nisi unum, aut summum unum & unam permittit, propter cognationem spiritualem inde oriri solitam. Ideòque mandat Parochis sub pœna arbitrio Ordinarii infligenda, ut si plures se offerant, prestant ab iis, ad quos spectat paternos designare, ut unum vel duos nominent, eosque tantum admittant, qui soli cognationem contrahant, eorumque nomina in librum referant, eosque

de contracta spirituali cognatione instruant, scilicet quod ea impediatur dirimatque Matrimonium, non quidem inter se, sed inter ipsos & baptizatum, ejusque patrem & matrem; sicut etiam inter baptizantem & baptizatum, baptizati que patrem & matrem. Excipiuntur tamen parentes, quando propriam prolem suscipiunt in necessitate. *Vid. Lay. ll. infra citandis. Unde resolves*

I. In privato Baptismo, ob necessitatem dato, pater non debet suscipere aut tenere tanquam patrinus infantem, cum in hoc casu nulla sit patrini necessitas, ideoque si id vel tunc, vel etiam in Baptismo publico temerè faciat, (idem est, si prolem suam ipse baptizet) graviter peccat, & insuper contrahit in posteriore casu cognationem cum conjuge: atque ut docet *Sanch. de Mat. l. 9. d. 26.* & alii communiter, privatur jure perendi debitum, quod tamen negat *Kon. & Dian. p. 3. t. 4. R. 3. V. Bon. de Matr. q. 3. p. 5. §. 2. Esob. tr. 7. E. 2. ubi citat Suar. negantem*

II. Si inter multos patrinus nulli certi à Parentibus aut in eorum defectu, à Parocho designentur, qui aliis seclusis cognationem contrahant, & sic multi simul ex ignorantia, vel Parocho negligentia levent, probabile est omnes contrahere cognationem; (nisi tamen assistant tantum, & non tangant) *V. Lay. l. 5. t. 10. p. 4. s. 8. & t. 2. c. 9. n. 4. Dian. tamen p. 9. t. 7. R. 5. ex Suar. Merat. & Perez dicit, eo casu nullum contrahere cognationem.*

III. Parochus graviter peccat, 1. Si ex negligentia frequenter omittat nomina baptizatorum referre in librum, tum ob legem *Trid. in re gravi*, & sub pœna gravi; tum ob incommoda,

- » & damna inde sequentia, *Quintan. t. 2 f. 11. 2.*  
 » Si ejus culpâ Patrini plures adhibeantur, *Quint.*  
 » l. 6. Ac licet *Perez & Serra*, apud *Dian. p. 9. t. 7.*  
 » R. 5. dicant esse probabile, quod tantum pec-  
 » cet venialiter, alii tamen mortalis eum dam-  
 » nant.

## A D D E N D A.

347. Q. 67. Quid circa Patrinos & cognationem spi-  
 ritualem sit præterea notandum. R. seqq.
- §. 1. Patrini variè appellantur, nam vocan-  
 tur à jure canonico fidejussores; à *Vionysio Ares-  
 pagita*, susceptores; à *Tertull.*, sponsores; à *S. Au-  
 gust.*, Fidei Doctores; à *S. Th.*, Prædagogus fidei;  
 à *Conc. Parisiensi*, Patroni.
348. §. 2. Parochus peccat graviter, si baptizet so-  
 lenniter sine Patrino, quia adhibitio Patrini est  
 una de præcipuis ceremoniis, *Tann. Gobat t. 2.*  
*n. 522. Platel. p. 5. n. 145.* contra *Possiv.*, qui  
 dicit, si Parentes velint ipsimet instruire prolem,  
 esse veniale tantum.
349. §. 3. In Baptismo, qui sub aliqua conditione  
 confertur, quamvis sit sollemnis, *Benac. Quina-  
 nady. Gob. n. 523. Gorm. n. 53.* dicant non esse  
 opus Patrino, quia hoc videtur tantum præcipi  
 pro Baptismo certo & absoluto.
350. §. 4. Vel unus tantum, sive vir sive mulier,  
 potest esse Patrinus aut Matrina, vel ad sum-  
 mum unus & una, uti expressè *Trid. sess. 24. de  
 Reform. cap. 2. & Synodus Colon. sub Maxm.  
 Henrico de Bapt. cap. 8. §. 1. pag. 59.*, hinc  
 licitè non possunt duo ejusdem sexus suscipere  
 eundem infantem, neque in hoc potest dispensa-  
 re Episcopus, quia est lex Superioris. Quod si  
 adhi

adhibeantur, v. g. duo viri, *Bonac. & Aversa* q. 67. f. 3. §. *Adhuc*. probabiliter dicunt esse mortale, quamvis *Sanch. de Matr. lib. 7 d. 57. nu. 6.* etiam probabiliter dicat esse veniale tantum: plures tamen possunt assistere veluti testes & ad maiorem pompam, *Gob. à n. 524.* Hinc si plures à parentibus designati se ingerant, baptizans potest initio dissimulare, sed postea dicat satis esse, si unus, vel unus & una infantem tangat, aut, si permittat omnes tangere, designet cum aliquo signo externo, unum, vel unum & unam, quibus solis tradet infantem baptizatum, non autem aliis, & illos solos annotet esse Patrimonos, reliquos fuisse testes.

§. 5. Si unicus sit susceptor, *Laym. vult*, ut 351. susceptor maris sit mas, & foeminae foemina, uti statuit *Conc. Nicæn.* Contradicunt *Suar. Fill. Aversa, Gob. n. 531.* dicentes marem posse suscipere foeminam & contrà, quia jure novo *Trid.* dicitur, sive vir, sive mulier. Et ideo etiam *Aversa* f. 4. §. ult. & *Pignat. tom. 7. consult. 93. n. 3.* docent procuratorem pro viro Patrino absente posse esse mulierem, & contrà. In his tamen quibusvis debet se accommodare consuetudini suae Dioceseos: consuetudo autem in his partibus stat pro Layman.

§. 6. *Urbanus II.* prohibet duos conjuges simul 352. levare infantem, si tamen alicubi sit contraria consuetudo, fieri poterit, maximè cum *Navar. Vivald. Sanch. n. 5. Tambur. de Bapt. cap. 4. §. 2. n. 11.* absolute putent hodie licere, ideòque *Suar. March. Aversa* f. 3. & alii passim dicunt, illam constitutionem non esse usu receptam.

353. §. 7. Aliqui negant baptizantem posse esse Patrinum, quia videtur requiri distinctio baptizantis & Patrini, cum baptizans aliqua interroget, ad quæ respondere debet Patrinus. Nihilominus poterit hoc probabiliter fieri, si baptizans substituatur sibi alium, qui nomine suo levet, hoc enim nullo jure prohibetur, *Gob. n. 535.*
354. §. 8. *Quintanadv.* putat nunc, per se loquendo, licere omnibus Religiosis & Monialibus esse Patrinos & Matrinas, quamvis olim fuerit prohibitum, quia causa hoc prohibendi olim erat esculum, quod sibi dabant Compadres & Commatres, ut colligitur ex *Cap. Monachi. De consecr. dist. 4.*, mos autem ille nunc cessavit, Probabilius tenent oppositum *March. & Gob. n. 557.* nam etiam inter causas fuit cura spiritualis, quæ noluerunt onerari Religiosos Monachos, item occasiones egressuum vel confabulationum, quas præsciendi voluerunt, hæc autem causæ semper manent.
355. §. 9. Mutus ordinariè non debet esse Patrinus, quia non potest infantem docere res fidei, *Barb. Gob. n. 555.* Qui autem semel docuit, non tenetur sapius, si instructus obliviscatur, quia tale onus perpetuum non est sine expresso jure imponendum. Quod si puer esset filius hæretici, Patrinus specialiter teneretur instruere in vera fide, quia videt Parentes in illo officio deficere. Nullus tamen Patrinus tenetur alere puerum, quem è fonte levavit.
356. §. 10. Ante septennium admitti non debet aliquis, ut sit Patrinus, etiam ideo, quia ordinariè non posset baptizatum docere fidem post primam infantiam, unusquisque autem tenetur

munus, ad quod obligatur, exercere, *Can. Vos ante omnia. De consecr. dist. 4.* Opponunt aliqui apud *Pignat. n. 5.*, baptizatos inter fideles satis instrui à Parochis, & Parentibus, sed hoc per accidens est, deberet enim saltem his deficientibus posse instruere, & ideo *Synodus Colon.* suprà dicit convenire, ut Patrini sint saltem puberes ac sacro chrismate confirmati. Possant tamen impuberes assistere honoris causa. Quòd si impubes faciat requisita velut Patrinus, docent *Sanchez l. 7. d. 6.* aliique cum *Pignat. n. 9.* quòd contrahat cognationem spirituales, quia actus manet validus.

§. 11. Pater posset esse patrinus filii sui illegitimi, unde, per se loquendo, non peccaret, qui id suaderet, in ordine ad Matrimonium cum Matre impediendum per cognationem spirituales, *Lugo in Resp. mor. l. 1. dub. 6. Gob. n. 568.* 357.

§. 12. Susceptio vel baptizatio propriæ prolis, etiam extra casum necessitatis, secundum multos non impedit usum Matrimonii contracti, quia hoc nullo jure legitur cautum, & quod fuit olim, videtur revocatum *Cap. Si Vir. De cognatione spirituali*: neque verum esse putant, quidquid dirimit Matrimonium contrahendum, etiam impedire usum contracti, nisi ubi jus hoc ordinat: Hanc sententiam facit probabilis *Sanch. l. 9. d. 26.*, tenet tamen oppositam, quia communem. Addit *Gob. num. 569.* Si mater moriatur in partu, aut pater ante partum, parentem alterum superstitem posse esse Patrinum vel Matrinam propriæ prolis. 358.

Q3

§. 13.

359. §. 13. Probabilius est, cum non contrahere cognationem, qui à parentibus, vel in horum d. f. et à Parocho non est designatus Patrinus, nam *Trid.* postulat esse designatum, ergo deficiente designatione non sequitur cognatio, *Sanch.* l. 7. d. 57. n. 8. & 12. *Aversa* f. 3 §. Quarto. *Gob.* a n. 535. contra *Navar. Henric. Castrop.* & alios.
360. §. 14. Si plures mares & foeminae designentur, probabilius est illum & illam solum contrahere cognationem, non qui primi fuerunt designati, uti vult *Tambur.* n. 14., sed qui ex designatis primi tangunt infantem baptizatum, reliqui enim non videntur esse veri Patrini, cum primi expleverint totum officium, *Suar. Sanch.* n. 14. Si autem plures æquè primò tangerent infantem, cum *Trid.* tantùm prohibeat, & non irritet actum, hinc videtur probabilius contra *Suar.* & *Aversam*, omnes contrahere cognationem, quia est æqualis pro omnibus ratio; & ita decisum esse asserit *Gallebart* ad sess. 24. cap. 1. *Trid.* de Refor. Matr. Similiter docet *Pignat.* n. 6. & 7. Sacram Congregationem declarasse, si incertum sit, quis ex pluribus, qui tetigerunt, fuerit designatus, aut quis primus tetigerit, omnes contraxisse.
361. §. 15. Si Baptismus non sit sollemnis, & aliquis subeat officium Patrini, aliqui affirmant, alii negant, eum contrahere cognationem, uti notant *Aversa* f. 3. §. Secundò & *Tambur.* cap. 4. §. 1. *Sanch.* verò l. 7. d. 62. n. 15. dicit idem non contrahere, quia munus Patrini ab Ecclesia institutum est tantùm pro solemnitate, ratione cuius tantùm hæc contrahatur cognatio; è contrà tamen videtur certum quòd baptizans non sollemniter

niter contrahat cognationem, quia hæc causatur ratione Sacramenti, quod tunc confert: Illi verò non contrahunt, qui assistunt solis ceremoniis, quæ postea in Ecclesia suppleuntur, *Quintanadv. t. 1. sing. 18. Pignat. n. 4.* afferens declarationem S. Congregationis Et idem est de illo, qui assistit in Baptismo sub conditione repetito, saltem, quamdiu non constat priorem Baptismum fuisse invalidum, *Avers. sect. 4. §. Tertio.*

§. 16. Si Patrini à Parentibus designati diu emanent, & Parochus factus impatiens alium designet in Patrimum, secundum *Bejam p. 2. cas. 4.* peccat mortaliter, quia facit contra jus parentum obrudendo alium fortè non gratum, vel cum quo nolent habere cognationem, quæ cum hoc videtur contrahi, quia sufficit designatio parentum vel Parochi, uti habet *Trid.*, & notat *Tamb. §. 2. n. 12.*

§. 17. Ad cognationem contrahendam necesse est tangere baptizandum manus, saltem mediis vestibus vel fasciis, nec sufficit tangere uno tantùm digito; si autem suscipiat ex fonte, debet suscipere è manibus baptizantis, & non tantùm Patrini vel obstetricis, ita cum communi *Avers. sect. 3. §. Sexto.* Qui autem ita tenuit vel suscepit infantem, & voluit exercere illum actum velut ceremoniam ab Ecclesia præscriptam, contrahit cognationem, quamvis nesciat illam inde oriri, quia resultat ex illo actu exercito per modum ceremoniæ sacræ, *Avers. l. 4. §. Septimo, Tambur. §. 4. nu. 4.* Si tamen tenens haberet animum, quòd nollet esse Patrinus, non contraheret, *Aversa, Tambur. suprà.* Si autem quis suscipret filium *Caji*, putans esse filium *Titii*, probabile est

cum *Sanch. Tamb. Gob. contra Castrop. Pont. & alios*, quod non contrahat cognationem cum *Cajo* vel ejus Parentibus, quis revera non habuit intentionem suscipiendi *Cajum*: Si tamen voluisset suscipere hunc infantem, quicumque demum esset, contraxisset, uti rectè *Aversa*; & hoc in dubio præsumi debet, inquit *Gob. n. 537.*

364. § 18. Si *Cajus* levet infantem tanquam Procurator nomine *Titii*, *Cajus* non contrahit cognationem, quia non est verè *Patrinus*, nec ipse designatus est, nec etiam intentionem habet nomine suo levandi, *Sanch. Avers. sect. 4. §. Octavo. Gob. n. 550. contra Sot. Tol. & alios. Patratque Sanch. lib. 7. d. 59. n. 4. etiam Titium non contrahere, sicuti Sacerdos non contraheret, si baptizaret per Diaconum sibi substitutum, sed Perez, Avers. Castrop. tr. 19. p. 11. Tambur. num 8. Gob. n. 546. probabilius dicunt Titium contrahere, sicque declaratum esse à Sacra Congregatione, uti testantur Gallemart ad Trtd. fs. 24 c. 1. de Ref. Matr. & Bas. Pontius De Matrim. lib. 7. c. 39. n. 10. Ratio autem est, quia, secundum jura potest quis medio Procuratore, quod per se ipsum, & actio tangendi potest alteri committi, & ita Magnates semper solent per Procuratorem levare infantes, qui tamen judicio omnium sunt veri Patrini. Quod autem Sacerdos non contrahat cognationem, quando Diaconus baptizat ex ejus commissione; Ratio est, quia Diaconus non baptizat nomine Sacerdotis, sed vel suo vel Christi nomine.*

Objici potest adhuc ex *Sanchez* 1. Ad cognationem

tionem spiritualem contrahendam requiritur actio personalis tangentiſ. 1. Cognatio legalis non oritur niſi ex adoptione personali ; 3. Similiter cognatio carnalis non oritur niſi ex actione personali , ergo nec ſpiritualis. 4. Nullus eſt textus ſignificans cognationem ſpiritualem contrahi ratione Procuratoris , ergo. R. ad 1. Requiritur actio phyſicè personalis , n, moraliter & imputativè personalis , c, hzc autem ponitur per procuratorem , qui tangit contactu , phyſicè ſuo , ſed moraliter ſui principalis. Ad 2. Hoc eſt aliquid ſpcciale , quia lex vetat adoptionem , non verò ſuſceptionem infantis fieri per alium. Ad 3. Actio tangendi poteſt alteri committi , non autem actio generandi. Ad 4. Hoc ipſo , quòd ſuſceptio per Procuratorem permittatur ab Eccleſia , ſufficienter deciditur cognationem illi annexam poſſe per eundem Procuratorem contrahi.

§. 19. Si Titius , qui dederat Cajo commiſſionem levandi pro ſe , revocaret hanc ſuam commiſſionem , antequam Cajuſ , etiam revocationis ignarus , levaret , Titius cognationem non contraheret , quia ſicuti in Matrimonio , ita etiam in hiſ actibus requiritur conſenſus perſeverans, Bald. Felin. Sanch. n. 8. 365.

§. 20. Si communitas aliqua , v. g. Capitulum fiat Patrinus infantis , quem levet per Procuratorem , Sanch. num. 7. putat nullam è Canonicis contrahere cognationem , ſed contradicit Abbas , quia quando actus non poteſt convenire univerſitati , reſolvitur in ſingulos. Utraque ſententia eſt

Q5

eſt

est probabilis, sed prima videtur probabilior, cum singuli non sint Patrini, ne sunt plures, quod vetat *Trid.*, unde nec singuli tenebuntur infantem instruere, sed ad summum tenebitur Capitulum uni demandare, qui faciat nomine omnium.

367. §. 21. Si Titius absens & ignorans designetur Patrinus, ponaturque Cajus pro Titio supplens, Cajus non contrahit cognationem, secundum antè dicta, neque etiam Titius, quia nec intentionem habuit, nec dedit commissionem, *Sanch. Castrop. Gob. n. 550.*

368. §. 22. Si fidelis baptizet prolem hominis infidelis, *S. Anton. Silv. Henriq. Con. alii que multi cum Aversa l. 4. §. Quarto.* docent fidelem contrahere cognationem respectu parentum infidelium, hos autem cognationem habituros, si baptizentur, quia Ecclesia sine distinctione & limitatione statuit cognationem inter tales personas: sed oppositum tenent *Dur. Sor. Led. Reb. Pontius, Bonac. alii que cum Sanch. lib. 7. d. 60.* Ratio est 1. quia Ecclesia nihil curat de illis, qui sunt foris extra Ecclesiam. 2. Quia aliàs talis cognatio statim oriretur utrimque, cum sit relatio mutua. 3. Et præcipuè, quia nulla de hoc invenitur lex, & multò minùs de tali modo, quo postea resultaret cognatio ratione Baptismi præteriti; nihil autem tale afferendum est, si non inveniatur statutum positivè in jure.

369. §. 23. Si infidelis baptizet aut levet infantem hominis fidelis, *Palud. Tolet. Rosel. alii que cum Aversa §. Quinto.* dicunt, uti antè, contrahi cognationem in actu secundo ex parte ho-

hominis fidelis, & in actu primo ex parte infidelis: sed iterum probabilius contradicunt *S. Th. Valent. Navar.* alique §. præced. citati pro secunda sententia, ob rationes ibi datas.

Q. 68. An Catholicus possit esse Patrinus infantis hæretici à Prædicante baptizandi. R. *L. ym. Tann. Gob. t. 2. n. 565. & Busenb. supra* absolute affirmant fieri posse ob piam & notabilem utilitatem, quia Patrinus per hoc tantum proficitur, quod puerum suscipiat in curam suam instruendum in verâ fide, facitque saltem hanc ceremoniam catholicè observari: *Castrop. F. Lugo, Tamb. c. 4. §. 2. n. 8.* id admittunt, si fiat ex gravi metu, & protestetur se omnia velle secundum morem Ecclesiæ Romanæ. E contra *Navar. Azor, Less. in Auct. v. Baptismus casu 1. Verjuys t. 6. a. 8.* negant unquam licere, tum quia multæ interrogationes dissonæ à catholicâ fide ab ipsis exiguntur, tum etiam quia est tacita approbatio ritus ipsorum. Itaque videtur distinguendum, nam si revera hæc ita exigantur, ut prudentum iudicio censeatur approbari ritus hæreticus, patet non licere, cum hæc sint intrinsecè mala; si autem ista absint, uti ordinariè videntur abesse in Germania, dicendum est licere.

Q. 69. Quid addendum sit circa admissionem Patris hæretici. R. seqq.

§. 1. Peccat, qui rogat hæreticum, ut sit Patrinus catholici infantis, tum quia petit esse instructorem in fide, qualis hic & nunc esse non potest, nisi in fide mala; tum etiam quia petit, quod non potest ab hæretico fieri sine peccato, nam talis proxima & propriè dicta communicatio

catio in rebus sacris. est interdicta hæretico. *Gob.*  
t. 2. n. 364.

372. §. 2. Quamvis Parentes, secundum dicta n.  
350., cogentur infantem mittere, aut permit-  
tere baptizari à Prædicante, tamen addere de-  
bent patrinum Catholicum, tum quia si adhi-  
beatur hæreticus, hic mortuis parentibus peter  
infantem educandum in suis erroribus, quod  
tenentur præcavere parentes; tum etiam ideo,  
quia baptizati ritu hæretico & levantibus solis  
patrinis hæreticis exponuntur periculo sequen-  
di hæresin, nam per fraudem ipsis imponitur,  
quasi in Baptismo professi sint & jurâint fidem  
illam.

373. §. 3. Ubicunque & à quocunque baptizetur  
infans, Authores apud *Gob.* n. 559. & cum *Verj.*  
a 9. communissimè docent admitti non posse  
patrinum hæreticum, tum quia hæreticus est in-  
capax illius officii, tum quia proles objiceretur  
periculo perversionis, uti antè dictum est. Pu-  
tat quidem *Laym.* licere in Germania, quando  
adest gravis causa vel necessitas; consentit *Ca-*  
*strop.*, si alioquin nasceretur gravis offensio, aut  
parentes facerent infantem deferri ad Prædi-  
cantem, sed adhuc contradicunt *Tann.* aliique  
communius, dicentes esse intrinsecè malum.  
Dux tamen praxès licitæ sunt: prima est *Tann.*  
& *Gob.* n. 560., ut baptizans in tali necessitate  
omittat omnia, quæ patrinum concernunt, &  
infantem baptizatum reddat obstetrici. Altera  
est aliorum in quibusdam urbibus acatholicis  
usurpata, ut baptizans, præter hæreticum, desi-  
gnet alium Catholicum ex voluntate parentum,  
qui puerum tangat assistente hæretico quasi ad  
hono-

houorem, & tum inscribat libro baptismali verum patrinum Catholicum; notet autem hæreticum fuisse tantum rethem: Quod si nullum timeatur incommodum, melius est omittere omnino patrinum, quam adhibere hæreticum, quia præceptum adhibendi tum tantum obligat, quando potest haberi idoneus. *Tamb. c. 4. §. 2. n. 6.*

Denique Parochus baptizans utiliter facit, 1. Si adstantibus breuiter explicet significationem ceremoniarum. 2. Si moneat parentes, imprimis ne infantes faciant secum in lecto cubare ante unum vel alterum annum, quia periculum est in somno opprimendi vel suffocandi: deinde ne committant improbis nutricibus, vel postea hæreticis Magistris: præterea prolibus adultioribus significant diem Baptismi, tum ut sciant ætatem suam, tum etiam ut illum diem piè celebrent, more Majorum. Baptizaturus autem ante omnia formet intentionem faciendi, quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia.

## CAPUT II.

### *De Confirmatione.*

## DUBIUM I.

*Quid sit, & qua ejus materia & forma.*

**R**esp. I. Confirmatio est unctio Chrismatis 374. sub præscripta forma verborum, in fronte baptizati, ab Episcopo; quæ is ex Christi institutione, gratiæ augmentum & robur accipit. »

Resp. II. Materia ejus remota essentialis est Chrisma, confectum ex balsamo & oleo olivarum,

rum,

rum, benedictum ab Episcopo. Ita commun.

»Doct. Unde resolves

» I. Non sufficit solum balsamum, ut voluit

»Canus: nec solum oleum, ut voluit Caj. Sotus,

»Nav.

» II. Etiam benedictio Episcopalis est de essen-

»tia, ut habet communis contra Caj. ideoque

»nullâ delegatione, sive Episcopi, sive Papæ, sim-

»plex Sacerdos potest conficere chrisma. Kon. d.

»72. n. 3. dub. 1. 6. 4.

» III. Perinde est ad substantiam Sacramenti,

»sive chrisma sit novum, sive vetus; licet gravi-

»ter peccet, qui utitur alio, quàm novo, id est, illo

»anno consecrato: In quem finem quorundam in

»die Cœnæ consecratur, veteri combusto.

» Resp. III. Materia proxima, est unctio in fron-

»te, per manum Episcopi, (unde etiam hoc Sa-

»cramentum, manus impositio dicitur à S. Luca

»Act. 8.) in formam Crucis facta: Quæ omnia

»sunt de necessitate Sacramenti, ut habet com-

»munis. Unde resolves,

» I. Etsi ex necessitate præcepti unctio fieri de-

»beat pollice manus dextræ; valida tamen esset,

»si fieret digito etiam sinistræ manus; quia verè

»fieret per impositionem manus Episcopalis, ita

»Præp. & alii contra Suar. Peccabit tamen Epi-

»scopus graviter contra universalis Ecclesiæ mo-

»rem, V. Ley. hic cap. 2. & Escob. t. 7. E. 3. ubi do-

»cet probabile esse non peccare mortaliter.

» II. Probabile est, requiri ad valorem Sacra-

»menti, ut unctio fiat ab Episcopo immediate,

»nullo instrumento mediante. Ita Fill. & Laym.

»contra quosdam, quia debet fieri per imposi-

»tionem manus. Escob. t. 7. E. 3.

Resp.

Resp. IV. Forma vera & necessaria, in Eccle-  
 sia latina est : Signo ( ut habet Trid. ) vel Consigno  
 ( ut habet S. Tho. ) te signo crucis , & confirmo te  
 chrismate salutis , in nomine Patris &c. In qua , u-  
 trum de essentia sit, ut utraque actio, signandi &  
 unguendi, expressè significetur, disputant Scho-  
 lastici, Laym. & Fill. t. 3. d. 10. Kon. l. 6. a. 4. Dian.  
 R. 27.

## A D D E N D A.

375.

Q. 70. Quid præterea sit notandum circa ma-  
 teriam & formam Confirmationis. R. seqq.

§. 1. Certum est oleum pertinere ad mate-  
 riam essentialem hujus Sacramenti : intelligitur  
 autem oleum olivarum , ut cum S. Th. & aliis  
 notat Aversa q. 72. l. 3. §. Tercio. Et quamvis  
 probabilius sit, etiam balsamum esse partem es-  
 sentialem materiz, tamen sententia dicens re-  
 quiri tantum ex præcepto, probabilis est, quam  
 præter Cajet. Sot. Nav. tenent Covar. Vivald.  
 Vict. Valent. Zanard. & alii apud Dian. p. 3. t. 4.  
 R. 23 & Avers. supra. Ratio petitur ex Cap. Pa-  
 storalis. De Sacram. non iterand., ubi inn. III.  
 interrogatus de confirmato in solo oleo, dicit  
 nihil esse iterandum, sed cautè supplendum,  
 quod incautè prætermisissum fuerat. Nec obstat,  
 quod Florent. dicat materiam esse Chrisma con-  
 fectum ex oleo & balsamo, nam etiam dicit ma-  
 teriam Eucharistiz esse vinum aquâ mixtum;  
 item materiam Pœnitentiz etiam esse satisfac-  
 tionem, satis autem constat, quod non sint  
 materia essentialis, hinc concludit Dicast. hic  
 n. 29. balsamum non requiri ad valorem sed  
 tantum ex præcepto, non purè ecclesiastico, sed  
 divi-

divino Christi, quod colligimus ex antiqua traditione Ecclesiz & PP.

376. §. 2. Si haberi non posset Chrisma ex oleo & balsamo, non peccaret, qui in articulo mortis confirmaret aliquem solo oleo infirmorum, quia opinio eorum, qui dicunt sufficere solum oleum, secundum dicta, est probabilis, ergo in casu necessitatis licitum est secundum eam procedere, Gob. in Exp. t. 2. n. 744. & constat ex dictis à n. 104.
377. §. 3. Sufficit balsamum cujuscunque regionis, dummodo sit in ea quantitate, ut det sui odorem, quamvis in singulis partibus olei non sit aliquid balsami, Con. Bonac. Gob. n. 745.
378. §. 4. Quamvis communior & probabilior sententia sit cum *Platel.* p. 5. n. 153., quod simplex Sacerdos, nequidem ex commissione Papæ, possit consecrare Chrisma pro Confirmatione, tamen *Caj. Valent. Barb. Gob.* supra aliisque apud *Avers.* f. 2. §. *Adhuc.* probabiliter contradicunt, si enim potest confirmare, cur non consecrare Chrisma ad confirmandum?
379. §. 5. Probabilius videtur, quod Sacerdotes Episcopo necessarii sint ad benedicendum Chrisma, nã in Rituali Romano dicitur de illis, quod sint & testes & cooperatores, jubenturque ipsi post Episcopum insufflare, signare, osculari ampullam &c non item Diaconi & sub-Diaconi, qui vocantur ministri tantum & assistentes.
380. §. 6. Opinio *Henriq. Vivald.* & aliorum, qui putarunt unctionem fieri posse medio aliquo instrumento, non videtur probabilis, quamvis probabilem agnoscere videatur *Dicast.* n. 151., nam partialis materia Confirmationis vide-

videtur esse impositio manûs Episcopalis, per quam solam initio ab Apostolis collatam Confirmationem, docent S. Thom. Scot. Gabr. Sos. Suarez, Dicast. n. 66. aliique apud Aversam s. 1. §. Teriò. contra Bellarm. & alios. Nec obstat, quòd Can. Si quis suadente diabolo. dicatur esse manûs injectio, si alium fuisse verberem, nam respectu illius Canonis etiam dicor injicere manum, si Clericum petam lapide vel conspuam; ergo patet ampliore modo ibi sumi, uti rectè Aversa s. 3. §. Ad. Ubi addit, si Episcopus laboraret pollice dextræ manûs, ungere posse alio digito. Addunt Nugn. Dian. Dicast. n. 149. non satis constare, quòd mortaliter peccaret Episcopus, si absque causa uteretur alio digito, quàm pollice dextræ.

§. 7. Pro explicandis variis Canonibus Con- 381.  
 cilliorum & dictis SS. PP., notandum est cum Gorm. hîc n. 1. varias ab initio Ecclesiæ fuisse manuum impositiones: 1. Erat curativa, de qua Marci ult. Super ægros manus imponent & bene habebunt. 2. Reconciliativa, cum qua dabatur absolutio sacramentalis pœnitentibus, præsertim publicis. 3. Ordinativa, per quam ordinabantur Ministri Ecclesiæ. 4. Confirmativa, per quam conferebatur hoc Sacramentum Confirmationis. Similiter varix fuerunt unctiones, 1. erat Altarium, Calicum, & aliorum pro usu Ecclesiæ. 2. Baptizatorum in vertice. 3. Exorcizandorum, ad expellendum dæmonem. 4. Ordinandorum in vertice & digitis. 5. Moribundorum, quæ est extrema Unctio. 6. Confirmandorum, de qua hîc egimus.

§. 8. Per formam Confirmationis apud La- 382.  
 Tom. V. R. tinos

tinus significari debeat, saltem ex præcepto  
 1. Persona confirmantis, saltem implicite. 2.  
 Actus, tam signandi per formam Crucis, quam  
 unguendi per sacrum Chrisma. 3. Persona con-  
 firmandi. 4. Unitas divinæ essentia. 5. Trini-  
 tas personarum, *Dicast. à n. 74. Aversa f. 3. §.*  
*Secundò. & rationem dat S. Thom. q. 72. a. 4.*, cui  
 significari debeat unitas essentia, Trinitas per-  
 sonarum & Crucis signum, quia cum Confirma-  
 tio fit ad plenitudinem reboris fidei in Bap-  
 tismo acceptæ, per hanc debuerunt iterum præ-  
 cipua illa Mytheria iaculcari; itemque præferti  
 Crucis signum, in quo Christus triumphavit,  
 velut prima tessera & insigne Christianorum,  
 nam baptizati, per characterem hujus Sacra-  
 menti specialiter consignantur in milites Chri-  
 sti, cum per Baptismum sint tantum domesti-  
 ci, sive Ecclesie filii. Videri possunt hæc fusius  
 apud *Suar. d. 33. f. 5.* & breviter apud *Dian. p. 3.*  
*t. 4. R. 27.*

383. §. 9. Forma apud Græcos est, Signaculum dona-  
 tionis spiritus S. omisso verbo, pro more Græcorum  
 & sensus est, hoc signo donantur munera Spi-  
 ritus S., uti latè *Arcud. l. 2. c. 6.*, qui c. 7. etiam fusi-  
 probat hanc formam esse validam, & contineri  
 omnia, quæ requiruntur ad essentiam; Quod et-  
 iam declaravit *Urbanus VIII.* apud *Illsung.* de Sa-  
 cram. n. 7., tenentque etiam alii; quos refert *Ill-*  
*de Confirmatione n. 41.* Ibidem ostendit *Arcu-*  
*dus*, quamvis Græci ungant etiam oculos, narres,  
 os, aures, pectus, manus, pedes, tamen ex eorum  
 mente opus non esse ungre nisi frontem. Idem  
*Arcud. c. 1.* ostendit hoc Sacramentum à SS. PP.  
 aliquando vocatum esse impositionem ma-  
 num: Illius autem veritatem probat c. 3.

Scriptura; & c. 4. ex SS. PP. Cap. 5. ex eisdem PP. evincit materiam ejus esse ex oleo & balsamo: Quod autem characterem imprimat, ostendit c. 17. Denique quod iterabile non sit, probat c. 18. & seqq. Atque inde rectè inferitur, si confirmatus moreretur, ac à mortuis suscitaretur, non esse denuo confirmandum, uti nec denuo baptizandus vel ordinandus esset, quia anima retinisset characteres illos, aliud tamen est de Matrimonio cum uxore sua, quod iterum contrahi deberet, quia omnino defuisset, uti dicitur suo loco.

De mutationibus substantialibus vel accidentalibus materiz aut formæ Confirmationis, videri possunt dicta à n. 18. 21. 23. 29. 44. Quando nam autem sit institutum hoc Sacramentum, dictum est n. 3.

## DUBIUM II.

*Quis Minister, & quod subjectum.*

**R**esp. I. Minister ordinarius validæ Confir-  
mationis, est solus & omnis Episcopus, et  
iam excommunicatus vel hæreticus: ex com-  
missione autem, vel delegatione Pontificis, et-  
iam simplex Sacerdos. Est communis. V. Lay. l. 5.  
s. 3. c. 6. Bon to. 1. d. 3. p. 2. Unde resolves

I. Etsi Episcopus graviter peccet, si vel in alie-  
na dicecesi, vel sibi non subditos confirmet sine  
propriæ Episcopi consensu, saltem tacito, pro-  
pter defectum jurisdictionis, valida tamen est  
Confirmatio, quia ista non requiritur necessita-  
te Sacramenti, sed præcepti tantum.

II. Excusatur à peccato Episcopus, si ex alia  
dicecesi accurrentes confirmet, quia præsumi-  
tur tacitus consensus alterius Episcopi, cui id-  
gratum esse censetur: præsertim si consuetudi-

R 2

MO

ne ita receptum sit, vel à proprio agrè confir-  
 mari possint. Ità contra Bon. d. 3. de Sac. docet  
 Tann. in 3. p. d. 4. dub. 3. Sa V. Confirmatio & alii.

III. Peccat graviter Episcopus, si longo tem-  
 pore non confirmet, quia subditos ingenti bo-  
 no privat.

Resp. II. Validè confirmantur omnes, & soli  
 baptizati nondum confirmati. Ratio est, tum ex  
 illo Act. 2. *Replevit totam domum*: tum ex usu &  
 traditione Ecclesie: tum quia omnes indigent  
 ejus effectu, & sunt capaces. Licitè verò confir-  
 mantur iidem, qui validè, dummodo constet  
 non ponere obicem, sive Sacramento sive ejus  
 effectui. Ratio patet ex dictis. Unde resolves

I. Etiam infantes, & rationis impotes, validè  
 hoc Sacramentum suscipiunt.

II. Et si quoad infantes, consultius sit, differre  
 usque ad rationis usum; tum ob reverentiam  
 Sacramenti, tum ob periculum iterationis, tum  
 ob Ecclesie usum: nihilominus ob rationabi-  
 lem causam etiam antè iis licitè datur, v.g. si ti-  
 meatur diuturna absentia Episcopi, vel hic ad  
 ista loca rardè veniat: item si infans sit in pericu-  
 lo mortis, (in quo quidam dicunt debere dari)  
 denique si sit filius Principis. Lay. l. c. Fill. tr. 3. c. 2.

III. Etiam perpetud amentes (præsertim si a-  
 liquando usum rationis habuerint) licitè con-  
 firmantur, etsi per accidens nunquam sint spi-  
 ritualiter pugnaturi. Ita Suar. Fill. Lay. l. c. Kon.  
 q. 72. a. 8. n. 83.

#### A D D E N D A.

385. Q. 71. Quid præterea notandum sit circa Mini-  
 strum & subjectum Confirmationis. & seqq.

§. 1.

§. 1. Quamvis aliquibus Abbatibus fuerit concessa potestas exercendi omnia Pontificalia exceptâ tantum collatione Ordinum, consecratione altarium & ecclesiarum, tamen declaravit Greg. XIII. apud Lugo in Resp. Moral. l. 1. dub. 7. non comprehendi facultatem confirmandi, Gob. tr. 2. n. 750. Potestque etiam videri *Arcudius* l. 2. à c. 11. usque ad 17., ubi contra *Photium* & aliquos Græcos probat solum Episcopum esse Ministrum ordinarium, Presbyterum verò esse tantum extraordinarium.

§. 2. Dicendum est contra *Ledes.*, quòd solus 386.  
Papa possit simplici Sacerdoti committere collationem Confirmationis, *Aversa* q. 72. s. 5. §. Et ex his. *Castrop.* tr. 20. p. 9. n. 4. Estque falsum illud principium, quòd Episcopus possit, etiam in extraordinariis, totum hoc pro sua Diocesi, quod potest Papa pro tota Ecclesia, præsertim si vera est sententia communior, quæ dicit Episcopos habere jurisdictionem & potestatem suam, à Christo quidem, sed mediatè, per Papam.

§. 3. Episcopus venialiter peccat, si confir- 387.  
met necdum ipse confirmatus; confirmat tamen validè, quia hæc potestas non fundatur in Sacramento vel caractere Confirmationis, sed Ordinis Episcopalis, ideòque debet Episcopus esse consecratus. *Dian.* in Comp. V. Confirmatio. n. 13. Gob. n. 751.

§. 4. Episcopus tenetur suis expensis circum- 388.  
ire ad confirmandum, nisi longa & rationabilis consuetudo fecerit jus exigendi illas expensas, Gob. n. 752. Quòd si ad octo vel decem annos differat circumire & ministrare hoc Sacramentum, peccat graviter, nisi excuset mo-  
R 3 ralis

raus impossibilitas ; *Nec obstat, quod qui omittit suscipere, non peccet, nam etiam fidelis o-mittens saepius confiteri vel communicare per annum non peccat, & tamen mortaliter peccat Parochus volens ei in his ministrare, ergo similiter Episcopus. Et ratio utriusque est, quia ad hoc tenentur ex officio & stipendio, Dicast. n. 141. Si tamen adsit rationabilis causa omittendi, non est damnandus, qui ad tres vel plures annos differt, Pax-Jord. Gob. n. 753.*

389. §. 5. *Nugus putat Episcopum peccare mortaliter, si confirmet extra ecclesiam, sed meritò à mortali excusant Palud. Suar. Praeposit. Bonac. Dian. apud Aversam l. 3. §. Quintò. Imò Dicast. n. 142. absolute dicit Confirmationem conferri posse extra ecclesiam. Nec opus est, ut confirmans vel Confirmandus sit jejunus, nam Caput, Ut Jejunii. De consecrat. dist. 5. id statuens solum habet vim consilii, estque jam abrogatum, Aversam. Gob. n. 769. Habetque etiam usus, ut Confirmatio detur, etiam si sit dies ferialis: mos autem dandi à prandio improbatur ab aliquibus, sed si justa causa adsit, improbari non debet: saltem collatio Confirmationis manè incepta continuari potest in longum tempus post prandium, si adsit magnus numerus confirmandorum.*

390. §. 6. *Si commodè possint, deberent Episcopi confirmare etiam in carcere illos, qui educendi sunt ad supplicium, si petant; item infantes jam morituros, S. Th. S. Bonac. Dicast. num. 93. Gob. n. 760. 768. 769. Imò Bonac. & Quintanadocitans plures apud Gob. n. 771. dicit mortaliter peccare Episcopos, si moribundum vel suspendendum petentem non confirmat, sed Escob.*

F. Lugo

F. Lugo de Sacram. l. 3. c. 3. & alii probabiliter negant esse mortale, imò nullum peccatum est, tum quia communiter excusat incommoditas talibus ministrandi hoc Sacramentum cum solennitate debita, tum etiam, quia jam non est consuetudo, ut fiat.

§. 7. Etiam illos perpetuo amentes, qui nunquam usum rationis habuerunt, posse confirmari, docent Suar *Henriq. Laym. Con. Dicast. n. 92. contra Sotum, Valent. Merat.*, sed attendi debet consuetudo, quam tamen aliqui dicunt, non obligare, si alicubi sit non confirmandi, quis hoc pender à libera voluntate Episcoporum. Pro infantibus, melius est expectare usum rationis: in locis tamen Missionum & inter hæreticos, quò rariùs veniunt Episcopi, convenienter confertur etiam infantibus, *Verjuys tr. 17.*, nam & Græci, teste *Arcudio l. 1. c. 13.*, statim post Baptismum infantibus conferunt Confirmationem.

§. 8. Si quis afferat dimissoriales ex alia dicecesi pro Ordinibus vel prima tonsura hic suscipienda, Episcopus noster licitè eum confirmat, quia cum Confirmatio prærequiratur, etiam ad hanc censetur consentire Episcopus dimittens, *Henriq. Zambr. Laym. Dian. p. 3. t. 4. R. 24. Dicast. n. 130. Contra Bonac. de Sacram. d. 3. p. 2.* Quòd si ad accipiendam Confirmationem conveniant ex aliis Dicecesibus sine speciali licentia, *Bonac. n. 20. Dicast. à n. 123.* dicunt eos non posse confirmari ab Episcopo alieno, quia non habet jurisdictionem in non subditos, sed rectè contradicunt *Henriq. Præpos. Laym. Barb. Tann. Cass. Sa, Aversa l. 5. §. Quintò. Burgh. Cent. 3.*

R. 4

cas.

cas. 97. *Delbene de Imm. Eccle. c. 11. dub. 1. f. 1. n. 20.*, idque fieri posse sine ullo scrupulo, docent *Dian. p. 4. r. 4. R. 50. & Steph. t. 5. d. 3. n. 1.*, quia hoc ratum & gratum est aliis Episcopis, ut probat *praxis*.

393 §. 9. Dubitans, an sit confirmatus, aut ad rectè, petere potest confirmari sub conditione, si non est confirmatus; requiritur tamen majus dubium, quàm pro Baptismo, quia Confirmatio non est ita necessaria, *Nugn. Bardi, Schild. t. 6. c. 3. Gob. n. 763.*

394

## DUBIUM III.

*Quæ Confirmationis necessitas, & Ceremonia.*

» **R**esp. I. Non est necessaria ad salutem necessitate mediæ, neque, per se, præcepti. Est communis *S. Thom. & aliorum*, contra *Scot. & Sylv.*  
 » Ratio, tum quia Ecclesia non urget ejus susceptionem ullis pœnis; tum quia nec ex Scriptura, nec traditione, neque sine aut institutione Sacramentale præceptum colligitur: Et *Canones*  
 » qui in contrarium afferuntur, satis explicantur de necessitate ad melius esse.

» Dixi, per se, quia per accidens aliquando potest esse necessaria ad salutem, ex præcepto charitatis suæ, vel proximi, vel alio, v. g. ad cavendum scandalum; vel ratione conscientiz, quæ quis valde matuit, ne in tormentis deficiat sine hoc Sacramento. *Unde resolves*

» I. Negligere hoc Sacramentum, secluso scandalo & contemptu, non est mortale, *Suar. Lay. vol. 5. t. 3. c. 5. Bon. d. 3. q. 1. p. 2. ubi ex aliis multo*

tio

tis docent, nullum esse præceptum illud susci-  
piendi.

II. Et si omissio ex contemptu, v. g. si quis id  
nihil faciat, aut puerile, aut vile habeat, sit  
mortalis, talis tamen non censetur esse, cum  
quis ejus oblatam occasionem, quam postea  
non facile habiturus est, negligit. Ita commun.  
contra *Sylv. V. Tol. l. 2. c. 4.*

III. Præceptum, quod habetur in *Trid. sess. 23. c. 4. de reform.* non ligat omnes, cum sit hypo-  
theticum, sed tantum ordinandos vel initian-  
dos primâ censurâ. Cujus omissionem non esse  
mortalem, contra *Tan. docet Henr. Valent. Suar. d. 38. f. 1. & Nav. manual. cap. 22.* qui addit, ne-  
quidem Episcopum peccare mortaliter, ordi-  
nando non confirmatum; aut si ipse non confir-  
matus ordinet. *Vid. Regin. lib. 28. cap. 3.*

Resp. II. Circa ceremonias Confirmationis,  
scienda sunt sequentia,

I. Et si servandi sint ritus in Pontificali præ-  
scripti, peccetque graviter Episcopus, si confir-  
met sine pluviali, mitra, vel pedo, uti & si Ordi-  
nes sacros conferat cum solis indumentis *Mis-  
sa, Dian. p. 7. t. 10. R. 31.* non tamen semper erit  
mortalis alicujus omissio, v. g. alapæ, aut cerei.  
Potest autem conferri loco quovis decenti, et-  
iam extra Ecclesiam; & à prandio non jejunis,  
omni anni tempore.

II. Sub gravi culpa, ut docet *Nav. manual. c. 22.*  
ex communi, requiritur Patrinus; isque unus  
tantum (licet *Tol.* duos admittat) qui si confir-  
matus non sit, peccat graviter, secundum com-  
munem: (*Escob.* tamen ex *Kon.* docet, non esse  
mortale) quod probabile esse docet *Quintan. t.*

»2. s. 7. imò nullum, si fiat in necessitate, & non  
 »contrahit cognationem, ut docet *Sanch. Suar.*  
 »contra *Sylv. Sa.* & alios. Debetque esse diversus à  
 »Patrino Baptismi, saltem extra necessitatem (li-  
 »cèt cum *Bon. & Hurt.* id neget *Quint. s. 7. & 14.*  
 »& secularem facientem non peccare mortaliter, di-  
 »cat *Dia. p. 3. t. 4. R. 21.*) & non Monachus (nisi  
 »factus Episcopus) Admitti tamen & illos, & Mo-  
 »niales posse sine culpa, docet idem *Quint. s. 18.*  
 »nisi in eorum Religione sit prohibitum, coau-  
 »tem nomine non excludi Mendicantes, notat  
 »*Kon. & alii quinque*, cum *Dian. p. 9. t. 6. R. 32.* Nec  
 »refert, seclusà consuetudine, num vir sit aut  
 »fœmina. Neque etiam contrahit obligationem  
 »instruendi confirmatum, sed tantum cognatio-  
 »nem spirituales cum eo, & ejus parentibus,  
 »dummodo tamen eum tangat.

» III. Frons confirmati obliganda est fasciâ li-  
 »neâ, cruce notatâ, gestandâ uno, tribus vel sep-  
 »tem diebus, pro consuetudine; illorâ interim  
 »fronte. Potest etiam, si ratio subsit, statim aufer-  
 »ri, & frons ablui, ipsa autem comburi, vel hont-  
 »stè asservari debet, nec ad profanos usus adhi-  
 »beri, propter contactum chrisimatis; neque fol-  
 »vens illam, contrahit cognationem. *V. Prop.*  
 »in 3 p. 9. 2. a. 12.

» IV. Parochos teneri in librum referre nomi-  
 »na confirmatorum & Patrinatorum suæ Paro-  
 »chiz, (eamque curam ad Episcopos etiam per-  
 »tinere) tum propter sciendam cognationem  
 »spirituales, tum propter Ordines suscipiendos,  
 »docet *Quint. s. 11. ex Barbosa, &c.* ac denique  
 »licere mutare nomen in Confirmatione, *ibid.*  
 »s. 10.

## A D D E N D A.

Q. 72. Quid præterea notandum sit circa necessi- 395.  
tatem & ceremonias Confirmationis. R. seqq.

§. 1. Fuisse olim præceptum ecclesiasticum, ut susciperetur Confirmatio, colligit *Dicast.* hic n. 105. ex variis Conciliis & dictis SS. PP., rectè autem docet dub. 10. cum communi, per desuetudinem nunc defuisse illud præceptum, moti-  
vum tamen magnum non negligendi Confirma-  
tionem est, quod multùm per illam roboretur fides, & augeatur gratia; sententia enim com-  
munis habet cum *S. Th. Dian. p. 4. t. 4. R. 50.*  
*Aversa q. 72. l. 4. §. Tertio Dicast. n. 83.* per Con-  
firmationem, secundùm se, conferri majorem  
gratiam, quàm per ipsum Baptismum, quamvis  
Baptismus præ Confirmatione habeat privilegi-  
um remittendi poenam peccatis debitam.

§. 2. Ubi facile non habetur Patrinus, potest 396.  
omitti, secundùm *Gob. t. 2. n. 780.* Alii tamen  
melius suadent, ut unus tum sit plurium Patri-  
nus, *Gob. n. 786.*, posse enim unum etiam eã-  
dem die esse Patrinum plurium, rectè docet *Bar-  
bosa.*

§. 3. Patrinum Confirmationis designant Pa- 397.  
rentes vel in eorum defectu Episcopus, *Gob. n.*  
*788.* Potèstque Clericus in Confirmatione esse  
Patrinus, item Monachus respectu alterius Mo-  
nachi, *Barb. Castrop. Jordan. Quintanadv. Gob. n.*  
*783.* Imò *Dicast. n. 145.* credit Religiosos men-  
dicantes etiam respectu externorum posse hic fa-  
cilis esse Patrinos, ed quòd non sit obligatio  
instruendi, uti docent etiam *Suar. & alii*: sed *Syn-  
odus Colon. sub Max. Henr. de Confirm. c. 3. §. 2.*  
pag.

pag. 64. prohibet illos esse Patrinus, afferens esse obligationem instruendi; in quo consensit *Aversa* l. 5. §. Denique, si confirmandus non sit instructus, & desit alius, à quo instruatur.

398. §. 4. Confirmans potest per alium nomine suo assistentem, esse Patrinus illius, quem confirmat, uti à pari dictum est de Baptismo n. 353. Et si aliqua causa subsit, potest idem esse in Confirmatione Patrinus, qui fuit in Baptismo, aliàs deberet esse diversus, uti habet *Syn. Colon.* §. 1., ut sic cura & instructio confirmati pertineat ad plures.
399. §. 5. Hic Patrinus debet secundùm usum Ecclesie & ritum Pontificalis Romani esse ejusdem sexus, cujus est confirmandus, *Aversa*, §. 1n, & ita etiam statuit *Syn. Colon.* §. 3., addens, ut etiam non sit minor ætate, quia indecorum est, si minor majorem monendo vel corripiendo Patris vices obeat: Mandatque eadem *Synodus* §. 5., ut Patrinus & confirmandus non accedant induti armis; quod meritò ubique est observandum.
400. §. 6. Quamvis multi probabiliter dicant non contrahi cognationem, si assistat non confirmatus, tamen oppositum etiam valde probabile est, si enim confirmans non confirmatus contrahat, cur non assistens? *Nec obstat*, quod Canon dicit illum, qui confirmatus non est, non posse alium suscipere, nam *Td*, non posse. sæpe denotat tantùm prohibitionem, quod enim illicitum est, dicitur moraliter fieri non posse, uti cum aliis multis *Aversa* l. 5. §. Non., qui tamen malè addit, infidelem, si assistat, postea suscepto Baptismo habiturum cognationem, hoc enim manet rejectum ex dictis à n. 368.

§. 7. Ceremonia illa, ut confirmati non ex-  
eant templo, priusquam acceperint communem  
benedictionem ab Episcopo, non observatur,  
quando est tantus accursus, ut alii aliis succede-  
re debeant, *Laym. l. 5. t. 3. c. 7. Castrop. t. 20. p. 10.*  
n. 12. *Gob. supra.*

§. 8. Ceremonias, quæ antecedunt, comi- 401.  
tantur & sequuntur Confirmationem, accuratè  
referunt & explicant *Bellarmin. de Confirm. c. 13.*  
*Castrop. p. 10. Scouville in Catechismo, de Con-*  
*firm. à q. 35., qui videri possunt.*

Denique etiam hic meritò debent Parochi 402.  
populum monere, 1. Quòd Confirmatio iterari  
non possit, (si tamen iteretur, quamvis peccetur  
mortaliter, tamen non incurritur irregularitas,  
quia jus hoc statuit tantùm in Baptismo.)  
2. Quòd contrahatur cognatio spiritualis: unde  
si Parochus habere non possit & in librum refer-  
re nomina confirmatorum, parentum & Patri-  
norum, saltem dum ineuntur Matrimonia, re-  
netur inquirere & attendere, an contrahentes  
fortasse non impediantur cognatione spirituali  
hic vel in Baptismo contractâ.